NICOLAI DU BOIS

THEOLOGI ET JURIS-CONSULTI
Sacrarum Litterarum in Vniverſitate
Lovanienſi Primarii Profeſſoris

TRACTATUS BREVIS
DE
IURE ET FACTO,

Juris & facti quæſtionibus, Decretis ſuper eiſdem, & ſingulorum diverſitate,

QUO

Simul via ſternitur ad ulteriorem Refutationem Novellorum Theologorum, præcipuè Gallorum, S. Sedis Authoritatem impetentium, etiam cum injuria Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ, & ſui Chriſtianiſſimi Regis.

LEODII,
Apud HENRICUM HOYOUX.
ANNO 1683.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROOEMIVM.

SI quis utcumque in Theologia peritus ridere volet, conſideret (quæſo) nugas nugaciſſimas Novellorum Theologorum, præſertim Anonymorum in ſuis Gallicis ſcriptis, quibus Tyrones ſuos, incautoſque diſcipulos & plebeculam etiam muliebrem, ad novitates prurientem faſcinant & ſeducunt: verè cæci & duces cæcorum, ideoque caſuri in foveam, ſi quod ſcribillant, verum putent; vapulaturi autem etiam multis, ſi veritatem ſciant, & nihilominus falſum pro vero obtrudant: quia ſcriptum eſt: *Revelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent.*

Calumnioſe affingunt Pontificibus eâ, de quibus non cogitaverunt: & juſtiſſimam eorum ſententiam, quàm non audent impugnare, vertunt in alienam; fingunt controverſias de rebus ſenſu notis: & quod juris eſt, ad factum trahunt, ut *quæſtionem juris*, faciunt *quæſtionem facti*, & ſub involucris verborum nihil, ut loquitur Auguſtinus contra Pelagianos, ſuorum ſenſuum volunt non eſſe ſalvum. Inſuper novam nobis logicam, ſeu argumentorum ſedes pariunt, & verborum affectata elegantiâ ſententias ſuas adornant, ut ad illam intentus Lector, conſequentiarum fallacias non animadvertat. Conſequentias, inquam, faciunt à facto ad jus, à peccato ad legem, à facto dubii juris ad certam juris definitionem, à coacto ad voluntarium & maximè deliberatum, à ſententia reſpectiva ad abſolutam: quos ſimileſque argumentandi modos hactenus Philoſophis, Juriſperitis & Theologis ignotos, ſuper incude contumaciæ & malitiæ fabricant cum Hæreticis & Schiſmaticis, doctrinæ improbatæ præcones: nec ſufficit illis congerere convitia in Sanctam Sedem, niſi ſimul impetant Catholicos Reges, alioſque Principes, præcipuè Auſtriacam Domum. Horum ſpecimina breviter exhibebo in hac parte: quia detectis ejuſmodi fallaciis, difficilè non erit reſpondere ad omnia, quæ contra Summos Pontifices & Chriſti Vicarios à Petro uſque ad noſtra tempora obganniverunt. Quæ, dante Deo, poſteà perſecuturus ſum.

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

De Iure.

1. ANno 1665. dum explicarem Actus Apoſtolorum per quæſtiones diverſas ad ſingula Capita, quæſtionem 15. direxi adverſus quaſdam Novellos Theologos, qui ſub velamine *quaſtionis facti* Bullam Alexandri VII. ſuper *quinque Propoſitionibus* conabantur eludere, ne fateri cogerentur ſenſus ſuos eſſe damnatos: aliqua *de jure & facto*, ibi dicta hic repetam & alia addam, antequam adverſariorum ſophiſmata quibus S. Sedem impetunt, excutiam.

2. Jus primario ſignificat idem quod juſtum, D.Th.2.2. q. 57. art. 1. ad 1. *Ius*, inquit, *primò impoſitum eſt ad ſignificandam rem juſtam*, & cap. 12. ꝟ. de verbor. ſignificat. *Iure poſſidetur, quod juſte.* Secundo ſignificat poteſtatem & facultatem aliquid agendi: ita dominium definitur, *Ius diſponendi &c.* Beneficium, *Ius percipiendi fructus Eccleſiaſticos &c.* Uſufructus, *Ius rebus alienis &c. L. 1. ff. de uſufructu.* Pariter cæteræ ſervitutes dicuntur Jus, *l. 7. ff. de ſervitutibus, l. 1. ff. de ſervitutibus ruſticorum prædiorum.* Obligationes quoque Jus vocantur *Inſtit. de reb. corporal. & incorporal.* etſi enim hæ in perſonâ obligata vel re ſerviente ſint quædam libertatis privatio: ex parte tamen ejus, cui ſervitur, vel cui alter obligatur, important facultatem aliquid agendi, exigendi, &c.

3. Verum facultas non cenſetur eſſe ulla, niſi quæ ſit juſta: nam (inquit lex 15. ff. de conditionib. inſtitut.) *quæ facta lædunt pietatem exiſtimationem, verecundiam noſtram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt*: atque ita ſignificatio hæc ſecunda connexa eſt cum prima; uti & illa, quâ ſignificat leges Naturales, Divinas, Civiles aut Eccleſiaſticas &c. *Can. 6. 7. 8. 9. 10. diſtict. 1.* jus enim dicuntur, quia juſtæ ſunt, *Can. 2. ibid.* aut ſaltem tales eſſe debent, & ita quoque ſententia dicitur jus; & Judex dicitur jus dicere, etiam tunc, cum malè judicat,

dicat, quia ſcilicet ejus ſententia debet eſſe juſta, *D.Tho. dicto a.* 1. Ob hanc dependentiam juris à Juſtitia dicit Juſtinianus, Inſt. de Juſtitia & Jure, *Ius à juſtitiâ derivari.*

4. Iterum agendi facultas quodammodo derivatur à lege: ſi enim lex permiſſiva ſit, libertatem illam poſitivè concedit. Cujus rei in jure plurimus eſt effectus. Si præceptiva, aut prohibitiva ſit, limitat quidem poteſtatem perſonæ in quam cadit prohibitio aut præceptum: ſed judici, vel Deo jus dat exigendi pœnas à prævaricantibus: implentibus autem & obedientibus dat jus ad præmium. *Bonos*, inquit Juſtinianus ff. de juſtitiâ & jure, *non ſolum metu pœnarum: verum etiam præmiorum exhortatione efficere cupientes &c.*

5. Inſuper ex legum diſpoſitione dependet frequenter valor actus, qui geritur: quoties ſcilicet illi certa materia, forma, vel ſolemnitas eſt præſcripta; ſic jure civili præſcripta eſt in teſtamentis, ſtipulationibus, novationibus, judiciis, præſcriptionibus &c. Certa ſimiliter forma jure canonico requiritur in beneficii collatione, *cap.* 1. *de Reg. in* 6. electione, *cap.* 42. *de electione*, rerum Eccleſiaſticarum alienatione, *cap. ult. de rebus Eccleſiæ*, cenſurâ Eccleſiaſticâ, *cap.* 1. *de ſententia excom. in* 6. Matrimonio *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *de reform. Matrim. &c.* Jure quoque divino determinata eſt certa materia & forma, v. g. Baptiſmi *Ioan.* 3. *Matth. ult.* Extremæ unctionis, *Iac.* 5. *Trid. ſeſſ.* 14. *de Sacr. Extr. unct.* Sacramenti Pœnitentiæ, *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *de Sacr. Pœnitentia*, aut certa diſpoſitio, *cap.* 1. *&* 3. *de Presbytero non baptizato.* Ex cujus formæ aut materiæ, vel diſpoſitionis omiſſione reſultat jus ſeu poteſtas, aut illius defectus. Ita ex validitate Matrimonii jus oritur ad copulam, ex invaliditate jus ad aliud Matrimonium perſeverat. Ex validitate Sacramenti Ordinis oritur poteſtas conficiendi Sacram Euchariſtiam, ex confeſſione legitimâ jus ad abſolutionem & regnum cæleſte, ex teſtamento jus ad hæreditatem &c. vitiatâ autem formâ remanet jus ſucceſſionis ab inteſtato.

6. Hinc quæſtiones (quibus quæritur de valore hujus vel illius actus, an ſit licitus, vel illicitus, an pœnam mereatur aut præmium, quis ſit effectus illius vel non, ſive quam poteſtatem aut facultatem tribuat quoad bona corporalia aut ſpiritualia, temporalia, vel æterna, &c.) ſunt quæſtiones juris Civilis, Canonici,

Digitized by Google

Divini, &c. prout hujus vel illius, vel utriuſque, aut omnium legibus ſubjiciuntur actus de quibus controverſia naſcitur.

7. Super quibus omnibus variæ Reſolutiones editæ inter leges & Canones ſunt relatæ, ut de valore Sacramenti Ordinis *in cap. 1. & 3.* ꝶ *de Presbytero non baptizato.* Baptiſmi *in cap. 1. de Bapt.* Judicii *cap. 9. & ſeqq. de judiciis.* Collationis beneficiis *cap. 1. de conceſſ. præb.* Legis *cap. 26. 7 10.* ꝶ *de conſtit. &c.* Similiter juris eſt quæſtio de efficacia diſpenſationis, mandatorum Apoſtolicorum &c. *cap.* 19. 20. 22. 23. *de Reſcriptis &c.* quia ſcilicet aut de jure, quod inde reſultat, aut de legis circa factum ejuſmodi diſpoſitione diſceptatur. Porrò quæſtio juris habet ſæpè connexam facti quæſtionem, lex enim ſupponit inſtitutionem correſpondentemque promulgationem, & quæſtio de valore, juſtitiâ, merito, pœna &c. alicujus actus, ſupponit illum ſaltem conditionatè.

8. Ipſum quoque officium Judicis ob eandem connexitatem juris & facti duplex eſt: primò enim verſatur circa facti inquiſitionem, quæ dependet ex teſtibus, inſtrumentis judiciis, eoque ſpectant tituli Legum & Canonum *de teſtibus, de fide inſtrumentorum, de præſumptionibus,* deinde verſatur circa inquiſitionem juſtitiæ, injuſtitiæ, valoris ipſius facti &c. & hæc ex Legum & Canonum notitiâ reſultat, quos & quas ſi allegare omiſerit Advocatus partium, ſupplere ex officio ipſe Judex debet, *l. unica cod. de Advocatis partium*, alias per imperitiam judicando cauſam facit ſuam, *inſtit. de obligationibus quæ ex quaſi delicto,* ſeu fit reus illius in quo alterum malè condemnat.

9. Reliquis ſignificationibus vocis, Jus, quibus ſignificat, *juſti & injuſti ſcientiam*, vel *juris artem*, aut etiam *judicii locum &c.* non immoror: quia ad præſentem materiam non ſpectant, vide Theologos 2. 2. *quæſt.* 57. & Juriſconſultos *in tit. Inſtit. ff. de juſtitia & jure.*

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

De facto & facti quæſtione.

10 FACTI ſignificatio notior eſt, comprehendit actum quemcumque, ſive à Deo procedat (ſic dicitur, *Omnia per ipſum facta ſunt &c.*) ſive ab homine, *Non auditores verbi, ſed factores juſtificabuntur*, ſive ſit internus, ſive externus, ſive ſit ſensûs corporis, ſive animæ, voluntatis vel intellectus, aut aliarum quarumcumque rerum actio. Interdum tamen ſtrictiùs accipitur, ut à verbo vel cogitatione diſtinguatur, ut dum cum Auguſtino, *Peccatum dicitur eſſe dictum, factum, vel concupitum contra legem*, latè Baptiſta Coſta, *de facti ſcientia, & ignorantia, inſpectione* 1.

12. Quemadmodum vero juris quæſtio habet, ut dixi, connexam facti quæſtionem, ita frequenter facti quæſtio connexam habet juris controverſiam. Et quidem ſi ab agente rationali procedat, prima potiſſimaque inſpectio illa eſt, *An juſtum ſit vel injuſtum.* Ea propter Juriſconſulti, Juriſprudentiam definiunt, *Divinarum humanarumq; rerum notitiam, juſti atque injuſti ſcientiam, inſt. de juſtitia & jure:* cujus definitionis prima pars concernit res, ut in ſe ſunt, altera vero prout legi naturali divinæ, aut humanæ conformes, vel difformes ſunt. Cujus reſolutio ſine perfecta facti notitia procedere nequit.

13. Præterea ipſa quæſtio de facti exiſtentia, præteritione, aut futuritione, non raro juris eſt, dum ſcilicet explicitè vel implicitè quæritur, *An id fuerit à lege declaratum, revelatum, vel credendum ſit, nec ne:* cujuſmodi quæſtiones in Theologia plurimæ, in jure diverſæ inveniuntur, earumque plures à Summis Pontificibus ſunt definitæ, v. g. *An Dei filius ſuſceperit humanum ſenſum, aliaſq; hominis proprietates & infirmitates*, quod affirmativè definivit Damaſus *Epiſt.* 1. *An liber, qui Pelagii eſſe dicebatur, Catholicam doctrinam contineret*, quem decrevit Innocentius I. calcandum atque damnandum

Digitized by Google

dum tanquam in quo multa eſſet blaſphemia, ita *Epiſt.96. apud Auguſtinum.* Et quamquam eodem Auguſtino teſte *in libro de peccato orig. c.9.* conaretur Pelagius falſa interpretatione ſe purgare: *Romanam tamen,* inquit ibid. c. 8. *Eccleſiam fallere non potuit.*

14. Similis quæſtio fuit, *An animæ quæ humanis corporibus inſeruntur, prius peccaverint in cœleſti habitatione?* Pro parte negativa definita à Leone Epiſt. 93. *An Petrus Fullo inciderit in dogmata Machabæorum Arii, Apollinaris?* Damnatus propterea à Felice III. Epiſt. 3. *An mortaliter peccaverit Adam comeſtione pomi?* Quod pro affirmativa parte definitum eſt ab eodem. *An parvuli omnes naſcantur in peccato originali?* Quod affirmativè definivit Gelaſius Epiſt. 7. *An libellus à Iuſtiniano editus regulis fidei conveniat?* De quo Agapetus Epiſt. 1. An in Chriſto contrariæ fuerint mentis & carnis voluntates? Quod negativè reſolvit Joannes IV. Epiſt. 2. Ubi propoſito, quod habetur ad Rom. 7. *Video legem aliam in membris meis, repugnantem legis mentis meæ &c.* ſubjungit: " Hæ duæ contrariæ voluntates mentis & ,, carnis, quas Apoſtolus docet, in noſtro nequaquam Salvatore ,, fuerunt, eo quod hic luctaminis ſtimulus ex prævaricatione ,, Protoplaſti ſumpſit initium: quoniam à Redemptore noſtro ,, ſuſcepta eſt natura, non criminis culpa".

15. Dixi ſupra, *factum* ſtrictè interdum accipi, prout diſtinguitur à *dicto* vel *concupito:* verum ubi quæritur, an aliquid ſit juris vel facti, latiùs accipitur; ut comprehendat etiam *dictum*, & *concupitum*, nec non intellectus internas operationes: haud tamen tam latè, ut contineat omnia facta: quamvis enim conſtitutio legis divinæ, v. g. vel Eccleſiaſticæ verè factum aliquod ſit: quæſtio tamen an edita conſtitutavè ſit lex, à quo, quando, ad jus (ut ſupra dixi) pertinet. Ex perſonâ enim Legiſlatoris dependet authoritas legis: ex tempore, quo edita eſt, dignoſcitur obligationis initium, *Futuris enim non præteritis leges formam dant negotiis, non autem ad facta præterita revocatur,* inquit *lex 7. Cod. de legib. & Pontifex in cap. 2. & ult. ꝟ de conſtit.* nec non poſterior derogat priori, ſi illi contraria eſt, *l. 28. ff. de legib. & ad Paulus ad Hebr. 7. v. 11. & ſeqq.* & denique omnium de lege controverſiarum, prima eſt illa, *an exiſtat?*

16. Ideo Concil. Tridentinum ſeſſ. 4. antequam adverſus

hære-

hæreſes & abuſus, ad fidei & morum decreta procederet, cenſuit primò determinandum, quænam eſſent divinæ Legis partes. *Sacrorum*, inquit, *librorum Indicem huic Decreto adſcribendum cenſuit, ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint, &c.* deinde iiſdem enumeratis ſubjungit; "Si quis autem libros ipſos integros prout in Ec-,,cleſiâ Catholicâ legi conſueverunt non ſuſceperit, anathema ,, ſit. Omnes itaque intelligant quo ordine ipſa Synodus poſt ,, jactum fidei fundamentum ſit progreſſura.

17. Uti ergo Theologus non dubitat eſſe ſuarum partium ſcire & docere, *An inter juris divini partes extet aliqua Iacobi, Ioannis, Petri &c. Epiſtola Canonica?* Ita non dubitat Juriſconſultus quin verè juris quæſtio ſit, & ad ipſius officium ſpectet reſolvere, *An extet lex aut Senatus conſultum Macedonianum, quod filiis familias mutuum dari vetet; Velleianum, quod irritet fidejuſſiones &c.*

18. Denique advertendum, quod aliquid dicatur facti vel juris dupliciter, abſolutè ſcilicet aut reſpectivè: ſtatuta enim & conſuetudines locales ſunt vera juris ſpecies reſpectu certi loci aut communitatis, *Can.* 8. *diſt.* 1. *l.* 9. *ff. de juſt. & jure. Quod quiſque populus*, inquit, *ſibi jus conſtituit, id proprium ipſius civitatis eſt*: Dicit tamen Pontifex *in c.* 1. *de conſtit. in* 6. "Locorum ſpecialium conſuetu-,, dines & ſtatuta facti eſſe & in facto conſiſtere, & propterea ,, poſſe à Romano Pontifice probabiliter ignorari, nec illis per ,, conſtitutionem à ſe noviter editam intelligi derogare, niſi de ,, hoc caveat expreſsè".

19. Prædicta autem Statuta & conſuetudines dicuntur facti eſſe reſpectu Eccleſiæ aut Pontificis, quia ut plurimùm ſunt de adminiſtratione rerum & locorum certorum perſonas ſpectantium: quæ an hoc vel illo modo ſe habeant, Eccleſiæ non ſolet intereſſe, niſi ubi ageretur de animarum periculo, *tunc enim*, inquit, Innocentius III. *in c. novit* ✠. *de judiciis*, *Valemus ſuper quolibet peccato criminali procedere, ut peccatorem revocemus à vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem.*

20. In prædictis itaque, ubi ceſſat erroris vel peccati cauſa, verè vertitur factum & facti quæſtio reſpectu Pontificis; ſed reſpectu Judicis vel Advocati talium locorum particularium, quæſtio de ſtatutis illorum verè eſt juris *Mareſcotus ad dictum c.* 1. *de Conſtit. in* 6. *n.* 61. 62. 63. 64.

Ita quoque reſpectivè ad Theologum verè facti quæſtio eſt, " quæ pœna inflicta ſit corrumpenti album Prætoris, viduæ nubenti intra annum luctus, Matri filiis Tutorem non petenti;" Sed non æquè facti eſt comparativè ad Doctorem Juris Civilis, quem ignorantia ſimilium, veluti titulo, quem habet, indignum explodet.

21. Ex his patet quæſtionem juris eſſe, quoties quæriter de lege, "An ſit, à quo edita, quando, quæ vis ejus ac poteſtas, & " conſequenter de valore aut nullitate actûs, de obligatione, per-" miſſione, peccato, merito, juſtitiâ vel injuſtitiâ hinc prove-" niente, item an quid ſit revelatum nec ne, fidei aut legi divi-" næ vel alteri conforme, vel alienum ab eâ, v. g. quid intende-" re debuerit, qui talia aut talia verba protulit". Hoc enim etiam ad juris quæſtionem pertinere evidens eſt *ex c. 7. & 26. x. de ſponſalibus*, *l. 7. ff. de ſuppellectile*, aliiſque juribus latius infra deducendis; ex eo enim dijudicamus de dolo *dicto c.* 26. de perfidiâ & mendacio, de perjurio, blaſphemia aliiſque.

Quod ſi de facto aliquo quæratur, *an ſit vel fuerit*, nullo tamen habito reſpectu ad Legem, ejuſve efficaciam, obligationem, permiſſionem revelationem, aliaque jam enumerata & inde reſultantia, quæſtio facti erit.

Quia tamen ſpecialiter à quibuſdam hodie dubitatur, an quæſtio de ſenſu ab aliquo per verba vel ſcripturam intento ſit *juris* vel *facti*, & *an ejus deciſio excedat Eccleſiæ aut Pontificis indubitatam & definitivam notionem*? ideo ſit.

ARTICULUS III.

An Quæſtio de ſenſu ab aliquo Authore intento ſit juris vel facti?

22 Concernit hæc quæſtio plurima, pervadit univerſum Jus Civile, Canonicum, Scripturam ſacram, generalia & particularia Concilia, SS. Patres, Theologiamque univerſam. Univerſæ penè leges in volumen ff. relatæ, ſunt de-

de ſenſu interno per Prætores in edictis ſuis ſuis, per Cæſares in legibus, per Senatum in Senatusconſultis, Judicem in Sententiis, contrahentem in pactis, Teſtatorem in ultimis voluntatibus &c. Sic ad ſenſum per prætores in Edictis ſuis intentum ſpectat *lex* 2. *qui ſatiſdare, lex* 1. *de poſtulando, lex* 2. 8. *de eis, qui notantur infamiâ, l.* 33. *de Procuratoribus, lex* 6. 7. 8. 9. *quod metus causâ &c. & totus liber* 42. Ad quæſtiones de ſenſu intento per Senatum, pertinent integri tituli *de Senatusconſulto Macedoniano, Velleiano, Tertulliano &c.* Item integri penè libri 30. 31. 32. 33. 34. *ff.* conflati ſunt ex Juriſconſultorum Reſponſis ſuper ſenſu à Teſtatoribus intento per tales, vel tales formulas teſtandi, vel legandi &c.

23. Innumeri ſunt de ſenſu intento textus in Canonico Jure, *ut c.* 8. 18. 19. 20. 20. 27. 32. ✠. *de Reſcriptis c.* 1. *de ſacra Unctione, c.* 6. *de majoritate c.* 8. *&* 14. *de fide inſtrumentorum, c.* 11. *de præſumptionibus c.* 16. 18. 21. 31. *de jurejurando, c.* 21. *de ſententia & re judicata, c.* 4. *de confirmatione utili, c.* 6. *de celebratione miſſarum, c.* 3. *de Baptiſmo, c.* 7. *de Sponſalibus, c.* 13. *qui fili ſint legitimi, c.* 7. *&* 8. *de divortiis &c.*

In Theologia pariter præcipuæ & fundamentales controverſiæ verſantur circa ſenſum intentum à Chriſto, Apoſtolis, Prophetis, vel Spiritu Sancto per eorum os loquente, aut intento à SS. Patribus, Conciliis, Pontificibus &c. Ita Synodus Tridentina in decreto: "*De peccato originali*, ait, ad revocandos errantes, ,, ſacrarum Scripturarum, ſanctorum Patrum, & probatiſſimorum ,, Conciliorum teſtimonia ſecuta, hæc de peccato originali declarat &c:" Deinde ad particularia deſcendens definit: "Eum, ,, qui negat peccatum originale nocuiſſe propagini, contradicere ,, Apoſtolo ad Romanos 5. dicenti, per unum hominem peccatum intravit &c. *in ſeſſ.* 6. *c.* 6. *de diſpoſitione ad juſtitiam ſcriptum* ,, *eſſe Heb.* 11. accedentem ad Deum oportet credere &c. *& c.* 8. ,, ibidem, cum Apoſtolus *ad Romanos* dicit juſtificari hominem ,, per fidem, ea verba in eo ſenſu eſſe intelligenda ut per fidem ,, ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis ini,, tium".

24. Plura habentur ſimilia in dicta ſeſſ. 6. *c.* 11. 13. *&* 14. *ſeſſ.* 7. *de baptiſmo, Can.* 2. *ſeſſ.* 13. *de ſacra Euchariſtia c.* 1. ubi ſingula-

Digitized by Google

gulariter ait: "Quæ verba (*hoc eſt Corpus meum hic eſt Sanguis meus*) ,, à ſanctis Evangeliſtis commemorata, cum propriam & aperti-,, tiſſimam ſignificationem præ ſe ferant, ſecundùm quam à Patri-,, bus intellecta ſunt, indigniſſimum ſane flagitium eſt à quibuſ-,, dam Flagitioſis hominibus ad fictitios tropos detorqueri". Ad ſimilem de ſenſu intento quæſtionem pertinet, quod in eodem Concilio ſeſſ. 14. de Sacramento Pœnitentiæ traditur. "Falſas ,, eſſe & à veritate Evangelii alienas doctrinas, quæ verba Chri-,, ſti, *Quæcumque alligaveritis ſuper terram* &c. ad alios extendunt, ,, quam ad Epiſcopos & Sacerdotes". Vide alia ſeſſ. 21. c. 2. ſeſſ. 22. c. 1. & *Can.* 2. *ſeſſ* 24. *de Matrim. c. unico*, & *Can.* 7.

Celeberrima quoque illa Concilii Niceni primi cum Arianis diſputatio maxima ex parte verſabatur circa ſenſum verborum illorum *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ut patet ex Actis dicti Concilii, *Lib. 2. de geſtis poſt ſublatum Licinium*, *c.* 15. 16. 17. & illorum, quibus Proverb. 8. dicitur, *Dominus condidit me initium viarum ſuarum* &c. *c.* 18. *& ſeqq. ibidem.*

25. Non eſt quod putet quiſpiam ſpeciale eſſe, quod Generale Concilium de ſenſu intento à Spiritu ſancto judicarit, quaſi aliud dicendum ſit, ſi vel Pontifex procedat ſine Concilio, vel ſi de ſenſu ab aliis intento ſit controverſia: id enim convincitur multipliciter.

Et primo quidem ex Florentino Concilio, in quo, ut (habetur ſeſſ. 18 parum poſt principium) conventum eſt, ut poſt ſacram Scripturam, *Sanctorum Patrum afferantur teſtimonia, eaque habeantur velut termini diſputationis, quos transgredi non liceret. Argumentanti vel reſpondenti.* Hinc tota diſputatio præfati Concilii à ſeſſ. 5. & deinceps, vertitur præcipue circa ſenſum intentum à 3. Synodo, qua ſtatuebatur; *Alteram fidem non licere proferre*, id eſt, *conſcribere aut componere præter definitam à Sanctis Patribus, qui Nicea congregati ſunt à Spiritu ſancto.* Item intentum à Cyrillo ad Joannem Antiochenum, à 4. Synodo, ab Agathone Papa in duabus Epiſtolis ad Imperatores, ab Auguſtino, Ambroſio, Baſilio, Epiphanio.

Perperam profecto Patres veluti terminus diſputationis poſiti fuiſſent, ſi de ſenſu ab illis intento judicare Concilium nequiviſſet.

25. Con-

26. Conformiter idem Agatho Pontifex in 1. Ep. ad dictos Imperatores, quæ incipit, *Conſideranti mihi*, fidem de naturis, operationibus & proprietatibus Chriſti tradens, eandem confirmat Authoritatibus S. Gregorii, Chryſoſtomi, Cyrilli, & aliorum, addens. "Portitoribus teſtimonia aliquorum Sanctorum Patrum ,, quos hæc Apoſtolica Eccleſia ſuſcipit, tradidimus, ut facultatem ſuggerendi conſecuti ex his dumtaxat ſatisfacere ſtudeant, ,, quid hæc ſpiritualis Mater eorum, ac à Deo propagati Imperii ,, Apoſtolica Chriſti Eccleſia credat & prædicet". Et parum infra: "Licentiam eis dedimus apud tranquilliſſimum veſtrum imperium, dum ejus juſſerit clementia, ſimpliciter ſatisfaciendi in ,, quantum eis dumtaxat injunctum eſt, ut nihil profectò audeant minuere augere, vel mutare". At quomodo decernere potuit doctrinam ſuam eſſe à prædictis Patribus traditam, ſi non prius de illorum ſenſu judicavit? Quomodo Gelaſius *in Can. Sancta Romana Eccleſia diſt.* 15. ait, *Quoniam Rufinum Hieronymus de libertate arbytrii notavit, illa ſentimus quæ Hieronymum ſentire cognoſcimus*, ſi non modo de ſenſu Catholico Hieronymi, ſed etiam de reprobo Rufini diſcrevit? Quomodo Cæleſtinus in *Ep. 6. ad Neſtorium* dicit, *Legimus Epiſtolarum tuarum tenorem, in quibus de te tuliſti ſententiam, volens de verbo aliter, quam fides habet, diſputare?*

ARTICULUS IV.

Quomodo Ius ex Facto pendeat etiam ex locutione & ſcriptione.

27. Licet divertiſſima ſint Jus & Factum; tanta nihilominus eſt connexio, ut plerumque Jus ex Facto oriatur, & unum ſit alterius cauſa. Hinc Juriſconſulti dicunt ex, *Ex facto jus oriri, & in cauſa poſitum jus eſſe l. 51. ff. ad l. Aquiliam.* V.g. ex contractu obligatio naſcitur & jus exigendi ex parte ejus in cujus favorem conventum fuit, aut etiam ex parte utriuſque contrahentis V.G. in contractibus venditionis, locationis, ſocietatis &c. Quorum & ſimilium intuitu, defi-

Digitized by Google

definitione, quam Logici vocant cauſalem, Ulpianus in *l.* 19. *ff. de verb. ſig.* dixit, *contractus eſt vltro citroque obligatio.* Similiter ex aditione hæreditatis oritur jus legatariis & Fideicommiſſariis adversùs hæredem. Ex delictis jus parti læſæ vel fiſco ad penam: & plerumque in judiciis in quibus de jure partium diſcrepatur, quæſtioni juris mixta eſt quæſtio facti, *An ſcilicet cauſa propter quam agitur,* v. g. mutuum, venditio, delictum ſubſit. *Sic in l.* 11. § *Mulier ff. ad l. Iuliam. de adult. dicitur: Mulier cum abſentem virum audiſſet vita functum eſſe, alteri ſe junxerat: mox maritus reverſus eſt.* Quæro quid adverſus mulierem ſtatuendum ſit. *Reſpondit tam juris quam facti quæſtionem moveri. Nam ſi longo tempore tranſacto, ſine ulla ſtupri probatione, falſis rumoribus inducta, quaſi ſoluta priore vinculo, legitimis ſecundis nuptiis juncta eſt: eo quod veriſimile eſt deceptam eam fuiſſe, nihil vindicta dignum videri poteſt.* Quod ſi ficta mariti mors argumentum *faciendis nuptiis probabitur præſtitiſſe, vindicare debet pro admiſſi criminis qualitate.* Itaque quæſtio *an mulier illa ad penam ſit obligata, & ad quam,* dicitur *quæſtio juris:* An vero falſus rumor cauſam nuptiis dederit, appellatur *quæſtio facti,* & ex eo jus oritur.

28. In plurimis Legum & Canonum partibus juris quæſtiones propoſitæ Imperatoribus, Pontificibus, Juriſconſultis ſolvuntur per diſtinctionem facti, v. g. in *l.* 3. *ff. de conjungendis cum emancipato liberis in l.* 114. *ff. de leg.* 1. §. 3. *l.* 13. §. 1. *ff. de manumiſſis teſtamento l.* 12. *ff. de Inſtructo vel inſtrum. leg. &c.* in *l.* 32. *ff. de uſuris dicitur, an mora facta intelligatur neque conſtitutione ulla, neque juris authorum quæſtione decidi poteſt: cum ſit magis facti quam juris.* Moram enim non contrahit, qui v. g. aureum dare promiſit; niſi à creditore fuerit debitè interpellatus: Hoc autem ex teſtimoniis hominum pendet; niſi in contractu, teſtamento, ſententia &c. appoſitus eſſet dies, quo deberet fieri ſolutio: tum enim *dies,* inquiunt juriſconſulti, *interpellat pro homine.* Probata autem interpellatione per adjectionem diei, vel probata monitione legitima, ſequitur ſolutio quæſtionis juris. *An & quatenus fructus rei debitæ, vel intereſſe debeatur.*

29. Addamus alia jura in *l.* 15. *&* 16. *ff. de ſtatu hominum,* dicitur: *Quod ſi Dominus ſuo mancipio, ſeu ancilla, liberbatem dederit eâ conditione, ſi tres filios peperiſſet, ipſa autem primo partu duos, ſecundo duos pepe-*

Digitized by Google

peperiſſet, quarto loco gentium fore ingenuum, quia ex libera natus eſt. Sed ſi ignoretur quis tertio & quarto loco genitus ſit, eſſe quæſtionem facti *quis illorum ſit ingenuus*; quia iterum ex hominum teſtimoniis pendet, non ex verbis teſtamenti *quis prior natus ſit*. In *l.* 1. *ff. de juris & facti ignorantia*, dicitur, *Si quis neſciat ſe cognatum eſſe, interdum in jure, interdum in facto errat: nam ſi & libertum ſe eſſe, & ex quibus parentibus ſe natum ſciat, jura autem cognationis habere ſe neſciat, in jure errat. At ſi quis fortè expoſitus, quorum parentum eſſet, ignoret, in facto magis quam in jure errat.*

30. Si quis ita obſcurè locutus ſit ut non poſſit determinari quid voluerit, iterum dicitur, *facti quæſtio non Iuris*. Unde in *l.* 94. *ff. de verborum obligationibus*, legitur, *Triticum dare ſtipulatus eſt aliquis, facti quæſtio eſt, non juris. Igitur ſi de aliquo tritico cogitaverit, id eſt, certi generis, certæ quantitatis, id habetur pro expreſſo: alioquin ſi cum deſtinare genus & modum vellet, non fecit: nihil ſtipulatus videtur.* Et ut habet regula 73. *ff. de regulis juris*, item lex 2. *ff. de his, quæ pro non ſcriptis: Quæ intelligi non poſſunt, pro non ſcriptis habentur.*

31. Unde iterum in *l.* 2. §. 7. *ff. de donationibus: Cum quidam Decem Titio donaſſet ut Stichum emeret, deinde contigiſſet Stichum mori antequam emptio perfici poſſet, quæſitum fuit, an donans repetere poſſit. Et reſponſum, facti magis quam juris quæſtio eſt.* Quia ſcilicet non poteſt ex verbis & circumſtantiis conſtare, an illa cauſula, *ut inde Stichum emeret*, appoſita ſit per modum cauſæ finalis (quo caſu repetitioni locus eſſet) an verò per modum cauſæ impulſivæ tantum, quo caſu repetitioni non eſt locus. Ecce ipſa legis verba: *Titio decem donavi eâ conditione ut inde ſibi Stichum emeret. Quæro cum homo antequam emeretur mortuus ſit, aliqua actione decem recipiant. Reſpondit: Facti magis, quam juris quæſtio &c. nam ſi decem in hoc dedi, ut Stichum emeret, aliter non daturus: mortuo Sticho repetam. Si verò aliàs quoque donaturus Titio, quia interim Stichum emere propoſuerat, dixerim in hoc me dare, ut Stichum emeret, cauſa magis donationis, quam conditio dandæ pecuniæ exiſtimari debet.* Verum quia, ut dixi, ex verbis, quibus uſus eſt donator, conſtare non poteſt utrum horum voluerit, ſed probari deberet per extrinſeca teſtimonia, facti quæſtio dicitur.

Sed ſi tam in dictis quam mille aliis caſibus de facto conſtet,

ſtatim

dum tanquam in quo multa eſſet blaſphemia, ita *Epiſt.96. apud Auguſtinum.* Et quamquam eodem Auguſtino teſte *in libro de peccato orig. c.9.* conaretur Pelagius falſa interpretatione ſe purgare : *Romanam tamen*, inquit ibid. c. 8. *Eccleſiam fallere non potuit.*

14. Similis quæſtio fuit, *An anima quæ humanis corporibus inſeruntur, prius peccaverint in cæleſti habitatione?* Pro parte negativa definita à Leone Epiſt. 93. *An Petrus Fullo inciderit in dogmata Machabæorum Arii, Apollinaris?* Damnatus propterea à Felice III. Epiſt. 3. *An mortaliter peccaverit Adam comeſtione pomi?* Quod pro affirmativa parte definitum eſt ab eodem. *An parvuli omnes naſcantur in peccato originali?* Quod affirmativè definivit Gelaſius Epiſt. 7. *An libellus à Iuſtiniano editus regulis fidei conveniat?* De quo Agapetus Epiſt. 1. An in Chriſto contrariæ fuerint mentis & carnis voluntates? Quod negativè reſolvit Joannes IV. Epiſt. 2. Ubi propoſito, quod habetur ad Rom. 7. *Video legem aliam in membris meis, repugnantem legis mentis meæ &c.* ſubjungit : " Hæ duæ contrariæ voluntates mentis & ,, carnis, quas Apoſtolus docet, in noſtro nequaquam Salvatore ,, fuerunt, eo quod hic luctaminis ſtimulus ex prævaricatione ,, Protoplaſti ſumpſit initium : quoniam à Redemptore noſtro ,, ſuſcepta eſt natura, non criminis culpa".

15. Dixi ſupra, *factum* ſtrictè interdum accipi, prout diſtinguitur à *dicto* vel *concupito* : verùm ubi quæritur, an aliquid ſit juris vel facti, latiùs accipitur ; ut comprehendat etiam *dictum*, & *concupitum*, nec non intellectus internas operationes : haud tamen tam latè, ut contineat omnia facta : quamvis enim conſtitutio legis divinæ, v. g. vel Eccleſiaſticæ verè factum aliquod ſit : quæſtio tamen an edita conſtitutave ſit lex, à quo, quando, ad jus (ut ſupra dixi) pertinet. Ex perſonâ enim Legiſlatoris dependet authoritas legis : ex tempore, quo edita eſt, dignoſcitur obligationis initium; *Futuris enim non præteritis leges formam dant negotiis, non autem ad facta præterita revocatur*, inquit *lex 7. Cod. de legib. & Pontifex in cap. 2. & ult.* *de conſtit.* nec non poſterior derogat priori, ſi illi contraria eſt, *l.* 28. *ff. de legib. & ad Paulus ad Hebr.* 7. *v.* 11. *& ſeqq.* & denique omnium de lege controverſiarum, prima eſt illa, *an exiſtat?*

16. Ideo Concil. Tridentinum ſeſſ. 4. antequam adverſus hære-

hæreſes & abuſus, ad fidei & morum decreta procederet, cenſuit primò determinandum, quænam eſſent divinæ Legis partes. *Sacrorum*, inquit, *librorum Indicem huic Decreto adſcribendum cenſuit, ne cui dubitatio ſuboriri poßit, quinam ſint, &c.* deinde iiſdem enumeratis ſubjungit; "Si quis autem libros ipſos integros prout in Ecclesiâ Catholicâ legi conſueverunt non ſuſceperit, anathema „ ſit. Omnes itaque intelligant quo ordine ipſa Synodus poſt „ jactum fidei fundamentum ſit progreſſura.

17. Uti ergo Theologus non dubitat eſſe ſuarum partium ſcire & docere, *An inter juris divini partes extet aliqua Iacobi, Ioannis, Petri &c. Epiſtola Canonica?* Ita non dubitat Juriſconſultus quin verè juris quæſtio ſit, & ad ipſius officium ſpectet reſolvere, *An extet lex aut Senatus conſultum Macedonianum, quod filiis familias mutuum dari vetet; Velleianum, quod irritet fidejuſſiones &c.*

18. Denique advertendum, quod aliquid dicatur facti vel juris dupliciter, abſolutè ſcilicet aut reſpectivè: ſtatuta enim & conſuetudines locales ſunt vera juris ſpecies reſpectu certi loci aut communitatis, *Can.8. diſt.1.l.9.ff.de juſt.& jure. Quod quiſque populus*, inquit, *ſibi jus conſtituit, id proprium ipſius civitatis eſt*: Dicit tamen Pontifex *in c. 1. de conſtit. in 6.* "Locorum ſpecialium conſuetu- „ dines & ſtatuta facti eſſe & in facto conſiſtere, & propterea „ poſſe à Romano Pontifice probabiliter ignorari, nec illis per „ conſtitutionem à ſe noviter editam intelligi derogare, niſi de „ hoc caveat expreſsè".

19. Prædicta autem Statuta & conſuetudines dicuntur facti eſſe reſpectu Eccleſiæ aut Pontificis, quia ut plurimùm ſunt de adminiſtratione rerum & locorum certorum perſonas ſpectantium: quæ an hoc vel illo modo ſe habeant, Eccleſiæ non ſolet intereſſe, niſi ubi ageretur de animarum periculo, *tunc enim*, inquit, Innocentius III. *in c. novit* ✠. *de judiciis, Valemus ſuper quolibet peccato criminali procedere, ut peccatorem revocemus à vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem.*

20. In prædictis itaque, ubi ceſſat erroris vel peccati cauſa, verè vertitur factum & facti quæſtio reſpectu Pontificis; ſed reſpectu Judicis vel Advocati talium locorum particularium, quæſtio de ſtatutis illorum verè eſt juris *Mareſcotus ad dictum c. 1. de Conſtit. in 6. n. 61. 62. 63. 64.*

B 21. Ita

Ita quoque reſpectivè ad Theologum verè facti quæſtio eſt, " quæ pœna inflicta ſit corrumpenti album Prætoris, viduæ nu-
„ benti intra annum luctus, Matri filiis Tutorem non petenti;"
Sed non æquè facti eſt comparativè ad Doctorem Juris Civilis, quem ignorantia ſimilium, veluti titulo, quem habet, indignum explodet.

21. Ex his patet quæſtionem juris eſſe, quoties quæriter de lege, "An ſit, à quo edita, quando, quæ vis ejus ac poteſtas, &
„ conſequenter de valore aut nullitate actûs, de obligatione, per-
„ miſſione, peccato, merito, juſtitiâ vel injuſtitiâ hinc prove-
„ niente, item an quid ſit revelatum nec ne, fidei aut legi divi-
„ næ vel alteri conforme, vel alienum ab eâ, v. g. quid intende-
„ re debuerit, qui talia aut talia verba protulit". Hoc enim etiam ad juris quæſtionem pertinere evidens eſt *ex c. 7. & 26. ii. de ſponſalibus*, *l. 7. ff. de ſuppellectile*, aliiſque juribus latius infra deducendis; ex eo enim dijudicamus de dolo *dicto c.* 26. de perfidiâ & mendacio, de perjurio, blaſphemia aliiſque.

Quod ſi de facto aliquo quæratur, *an ſit vel fuerit*, nullo tamen habito reſpectu ad Legem, ejuſve efficaciam, obligationem, permiſſionem revelationem, aliaque jam enumerata & inde reſultantia, quæſtio facti erit.

Quia tamen ſpecialiter à quibuſdam hodie dubitatur, an quæſtio de ſenſu ab aliquo per verba vel ſcripturam intento ſit *juris* vel *facti*, & *an ejus deciſio excedat Eccleſiæ aut Pontificis indubitatam & definitivam notionem*? ideo ſit.

ARTICULUS III.

An Quæſtio de ſenſu ab aliquo Authore intento ſit juris vel facti?

22 Concernit hæc quæſtio plurima, pervadit univerſum Jus Civile, Canonicum, Scripturam ſacram, generalia & particularia Concilia, SS. Patres, Theologiamque univerſam. Univerſæ penè leges in volumen ff, relatæ, ſunt de-

de ſenſu interno per Prætores in edictis ſuis ſuis, per Cæſares in legibus, per Senatum in Senatuſconſultis, Judicem in Sententiis, contrahentem in pactis, Teſtatorem in ultimis voluntatibus &c. Sic ad ſenſum per prætores in Edictis ſuis intentum ſpectat *lex* 2. *qui ſatiſdare, lex* 1. *de poſtulando, lex* 2. 8. *de eis, qui notantur infamiâ, l.* 33. *de Procuratoribus, lex* 6. 7. 8. 9. *quod metus causâ &c. & totus liber* 42. Ad quæſtiones de ſenſu intento per Senatum, pertinent integri tituli *de Senatuſconſulto Macedoniano, Velleiano, Tertulliano &c.* Item integri penè libri 30. 31. 32. 33. 34. *ff.* conflati ſunt ex Juriſconſultorum Reſponſis ſuper ſenſu à Teſtatoribus intento per tales, vel tales formulas teſtandi, vel legandi &c.

23. Innumeri ſunt de ſenſu intento textus in Canonico Jure, *ut c.* 8. 18. 19. 20. 20. 27. 32. ✕. *de Reſcriptis c.* 1. *de ſacra Unctione, c.* 6. *de majoritate c.* 8. *&* 14. *de fide inſtrumentorum, c.* 11. *de præſumptionibus c.* 16. 18. 21. 31. *de jurejurando, c.* 21. *de ſententia & re judicata, c.* 4. *de confirmatione utili, c.* 6. *de celebratione miſſarum, c.* 3. *de Baptiſmo, c.* 7. *de Sponſalibus, c.* 13. *qui filii ſint legitimi, c.* 7. *&* 8. *de divortiis &c.*

In Theologia pariter præcipuæ & fundamentales controverſiæ verſantur circa ſenſum intentum à Chriſto, Apoſtolis, Prophetis, vel Spiritu Sancto per eorum os loquente, aut intento à SS. Patribus, Conciliis, Pontificibus &c. Ita Synodus Tridentina in decreto: "*De peccato originali*, ait, ad revocandos errantes, „ ſacrarum Scripturarum, ſanctorum Patrum, & probatiſſimorum „ Conciliorum teſtimonia ſecuta, hæc de peccato originali de- „ clarat &c:" Deinde ad particularia deſcendens definit: "Eum, „ qui negat peccatum originale nocuiſſe propagini, contradicere „ Apoſtolo ad Romanos 5. dicenti, per unum hominem pecca- „ tum intravit &c. *in ſeſſ.* 6. *c.* 6. *de diſpoſitione ad juſtitiam ſcriptum* „ *eſſe Heb.* 11. accedentem ad Deum oportet credere &c. *& c.* 8. „ ibidem, cum Apoſtolus *ad Romanos* dicit juſtificari hominem „ per fidem, ea verba in eo ſenſu eſſe intelligenda ut per fidem „ ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis ini- „ tium".

24. Plura habentur ſimilia in dicta ſeſſ. 6. *c.* 11. 13. *&* 14. *ſeſſ.* 7. *de baptiſmo, Can.* 2. *ſeſſ.* 13. *de ſacra Euchariſtia c.* 1. ubi ſingula-

gulariter ait: "Quæ verba (*hoc eſt Corpus meum hic eſt Sanguis meus*) „ à ſanctis Evangeliſtis commemorata, cum propriam & aper- „ tiſſimam ſignificationem præ ſe ferant, ſecundum quam à Patri- „ bus intellecta ſunt, indigniſſimum ſane flagitium eſt à quibuſ- „ dam Flagitioſis hominibus ad fictitios tropos detorqueri". Ad ſimilem de ſenſu intento quæſtionem pertinet, quod in eodem Concilio ſeſſ. 14. de Sacramento Pœnitentiæ traditur. "Falſas „ eſſe & à veritate Evangelii alienas doctrinas, quæ verba Chri- „ ſti, *Quæcumque alligaveritis ſuper terram* &c. ad alios extendunt, „ quam ad Epiſcopos & Sacerdotes". Vide alia ſeſſ. 21. c. 2. ſeſſ. 22. c. 1. & *Can.* 2. *ſeſſ* 24. *de Matrim. c. unico*, & *Can.* 7.

Celeberrima quoque illa Concilii Niceni primi cum Arianis diſputatio maxima ex parte verſabatur circa ſenſum verborum illorum *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ut patet ex Actis dicti Concilii, *Lib.* 2. *de geſtis poſt ſublatum Licinium*, c. 15. 16. 17. & illorum, quibus Proverb. 8. dicitur, *Dominus condidit me initium viarum ſuarum* &c. *c.* 18. & *ſeqq. ibidem.*

25. Non eſt quod putet quiſpiam ſpeciale eſſe, quod Generale Concilium de ſenſu intento à Spiritu ſancto judicarit, quaſi aliud dicendum ſit, ſi vel Pontifex procedat ſine Concilio, vel ſi de ſenſu ab aliis intento ſit controverſia: id enim convincitur multipliciter.

Et primo quidem ex Florentino Concilio, in quo, ut (habetur ſeſſ. 18 parum poſt principium) conventum eſt, ut poſt ſacram Scripturam, *Sanctorum Patrum afferantur teſtimonia, eaque habeantur velut termini diſputationis, quos transgredi non liceret. Argumentanti vel reſpondenti.* Hinc tota diſputatio præfati Concilii à ſeſſ. 5. & deinceps, vertitur præcipue circa ſenſum intentum à 3. Synodo, qua ſtatuebatur; *Alteram fidem non licere proferre*, id eſt, *conſcribere aut componere præter definitam à Sanctis Patribus, qui Niceæ congregati ſunt à Spiritu ſancto.* Item intentum à Cyrillo ad Joannem Antiochenum, à 4. Synodo, ab Agathone Papa in duabus Epiſtolis ad Imperatores, ab Auguſtino, Ambroſio, Baſilio, Epiphanio.

Perperam profecto Patres veluti terminus diſputationis poſiti fuiſſent, ſi de ſenſu ab illis intento judicare Concilium nequiviſſet.

25. Con-

26. Conformiter idem Agatho Pontifex in 1. Ep. ad dictos Imperatores, quæ incipit, *Conſideranti mihi*, fidem de naturis, operationibus & proprietatibus Chriſti tradens, eandem confirmat Authoritatibus S. Gregorii, Chryſoſtomi, Cyrilli, & aliorum, addens. "Portitoribus teſtimonia aliquorum Sanctorum Patrum ,, quos hæc Apoſtolica Eccleſia ſuſcipit, tradidimus, ut facultatem ſuggerendi conſecuti ex his dumtaxat ſatisfacere ſtudeant, ,, quid hæc ſpiritualis Mater eorum, ac à Deo propagati Imperii ,, Apoſtolica Chriſti Eccleſia credat & prædicet". Et parum infra: "Licentiam eis dedimus apud tranquilliſſimum veſtrum imperium, dum ejus juſſerit clementia, ſimpliciter ſatisfaciendi in ,, quantum eis dumtaxat injunctum eſt, ut nihil profectò audeant minuere augere, vel mutare". At quomodo decernere potuit doctrinam ſuam eſſe à prædictis Patribus traditam, ſi non prius de illorum ſenſu judicavit? Quomodo Gelaſius *in Can. Sancta Romana Eccleſia diſt.* 15. ait, *Quoniam Rufinum Hieronymus de libertate arbytrii notavit, illa ſentimus quæ Hieronymum ſentire cognoſcimus*, ſi non modo de ſenſu Catholico Hieronymi, ſed etiam de reprobo Rufini diſcrevit? Quomodo Cæleſtinus in *Ep. 6. ad Neſtorium* dicit, *Legimus Epiſtolarum tuarum tenorem, in quibus de te tuliſti ſententiam, volens de verbo aliter, quam fides habet, diſputare?*

ARTICULUS IV.

Quomodo Ius ex Facto pendeat etiam ex locutione & ſcriptione.

27. Licet diverſiſſima ſint Jus & Factum; tanta nihilominus eſt connexio, ut plerumque Jus ex Facto oriatur, & unum ſit alterius cauſa. Hinc Juriſconſulti dicunt ex, *Ex facto jus oriri, & in cauſa poſitum jus eſſe l. 51. ff. ad l. Aquiliam.* V. g. ex contractu obligatio naſcitur & jus exigendi ex parte ejus in cujus favorem conventum fuit, aut etiam ex parte utriuſque contrahentis V. G. in contractibus venditionis, locationis, ſocietatis &c. Quorum & ſimilium intuitu, defi-

Digitized by Google

peperiſſet, quarto loco gentium fore ingenuum, quia ex libera natus eſt. Sed ſi ignoretur quis tertio & quarto loco genitus ſit, eſſe quæſtionem facti *quis illorum ſit ingenuus*; quia iterum ex hominum teſtimoniis pendet, non ex verbis teſtamenti *quis prior natus ſit.* In *l. 1. ff. de juris & facti ignorantia*, dicitur, *Si quis neſciat ſe cognatum eſſe, interdum in jure, interdum in facto errat: nam ſi & libertum ſe eſſe; & ex quibus parentibus ſe natum ſciat, jura autem cognationis habere ſe neſciat, in jure errat. At ſi quis fortè expoſitus, quorum parentum eſſet, ignoret, in facto magis quam in jure errat.*

30. Si quis ita obſcurè locutus ſit ut non poſſit determinari quid voluerit, iterum dicitur, *facti quæſtio non Iuris.* Unde in *l. 94. ff. de verborum obligationibus*, legitur, *Triticum dare ſtipulatus eſt aliquis, facti quæſtio eſt, non juris. Igitur ſi de aliquo tritico cogitaverit, id eſt, certi generis, certa quantitatis, id habetur pro expreſſo: alioquin ſi cum deſtinare genus & modum vellet, non fecit: nihil ſtipulatus videtur.* Et ut habet regula 73. *ff. de regulis juris*, item lex 2. *ff. de his, quæ pro non ſcriptis: Quæ intelligi non poſſunt, pro non ſcriptis habentur.*

31. Unde iterum in *l. 2. §. 7. ff. de donationibus: Cum quidam Decem Titio donaſſet ut Stichum emeret, deinde contigiſſet Stichum mori antequam emptio perfici poſſet, quæſitum fuit, an donans repetere poſſit. Et reſponſum, facti magis quam juris quæſtio eſt.* Quia ſcilicet non poteſt ex verbis & circumſtantiis conſtare, an illa cauſula, *ut inde Stichum emeret*, appoſita ſit per modum cauſæ finalis (quo caſu repetitioni locus eſſet) an verò per modum cauſæ impulſivæ tantum, quo caſu repetitioni non eſt locus. Ecce ipſa legis verba: *Titio decem donavi eâ conditione ut inde ſibi Stichum emeret. Quæro cum homo antequam emeretur mortuus ſit, aliqua actione decem recipiant. Reſpondit: Facti magis, quam juris quæſtio &c. nam ſi decem in hoc dedi, ut Stichum emeret, aliter non daturus: mortuo Sticho repetam. Si verò aliàs quoque donaturus Titio, quia interim Stichum emere propoſuerat, dixerim in hoc me dare, ut Stichum emeret, cauſa magis donationis, quam conditio dandæ pecuniæ exiſtimari debet.* Verum quia, ut dixi, ex verbis, quibus uſus eſt donator, conſtare non poteſt utrum horum voluerit, ſed probari deberet per extrinſeca teſtimonia, facti quæſtio dicitur.

Sed ſi tam in dictis quam mille aliis caſibus de facto conſtet,

ſtatim

Digitized by Google

ſtatim patet ſolutio quæſtionis juris, an ſcilicet, qui agit obtinere debeat, vel perdere. Pergamus ad alia.

32. Vocum inſtitutio, item inſtitutio ſignificationis, earundem uſus ad alterum, & ſcriptura, ſunt facta: ſed talia ex quibus jura innumera & juris quæſtiones prodeunt. Ea enim ſunt inſtituta, ut ſint ſigna voluntatis & conceptum ejus, qui illis utitur. Quiſquis intelligit quod loquitur aut ſcribit, hoc ipſum ſentire debet interius quod verba prolata aut ſcripta ſonant exterius. Et hæc obligatio naſcitur ex communi gentium ſenſu ac quadam mutua ſponſione: per quam etiam fit ut alter, ad quem vel cujus utilitatem dirigitur verbum prolatum aut ſcriptum, jus habeat accipiendi in eo ſenſu quem oratio ſonat juxta uſum communem: Non enim, inquit *l. 7. ff. de ſupellectile legata*, *ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu verba exaudiri debent.* Ideo mota in eadem lege, quæſtione, *An legata ſupellectile veſtis contineretur, ſi teſtator putavit ſupellectilis nomine contineri?* Reſpondit Iuriſconſultus Tubero, *Non videri aut liquere ſibi* quod contineatur: *Nam*, inquit, *quorſum nomina, niſi ut demonſtrent voluntatem dicentis.*

33. Quod ſi veram ſignificationem verborum & ſententiæ ſuæ non intellexit, & de ejus ignorantia conſtet, non eſt cenſendus dixiſſe, inquit eadem lex, *quod non ſenſit.* Et paulò poſt: *Nemo exiſtimandus eſt dixiſſe, quod non mente agitaverit.*

Hinc eſt quod ſi, ut dixi, conſtet de mente verbis contraria, nihil egit, qui locutus eſt, vel ſcripſit: *Quoties,* inquit *lex 9. ff. de hæredibus inſtituendis, volens alium hæredem ſcribere, alium ſcripſerit errans in hominis corpore, placet neque eum hæredem eſſe, qui ſcriptus eſt, quoniam voluntate deficitur, neque eum quem voluit, quoniam ſcriptus non eſt.*

34. Inſuper qui alteri loquitur ſive docendo, ſive contrahendo, cenſetur velle, ut audiens apprehendat illud ipſum, quod verba & ſententiæ ſonant, etiamſi ipſemet mentiretur: ad quid enim aliud loquitur vel ſcribit? Et in eo mendacem à verace & doloſum à ſincero diſtinguimus, quod aliud ipſe ſentiat aliud intelligi velit; aut etiam mentem ſuam contra id, quod verba ſonant, interpretari ſatagat, l. 99. ff. de verb. oblig. *Non eſt*, inquit, *ferendus promiſſor, ſi ejus intererit, de aliis vaſis fortè, aut hominibus actum,* alias omne commercium tolleretur & ſocietatis humanæ communicatio.

35. Hoc

35. Hoc etiam in docendi genere maximè obtinere poteſt. Cum enim intentio docentis illa eſſe debeat, ut diſcipulorum mentibus rerum veritates inſtillet per ſigna maximè ad id apta, conſequenter oportet, quod tam clarè quàm poteſt, ſe exprimat, & ſuccinctè: ac potius Grammaticum agat, quam Plautum, Tertullium, vel Ciceronem: ne obſcuritate verborum, vel multitudine confundat. Quomodocumque tandem loquatur, etiamſi inanibus verborum floſculis delectetur, illud cenſendus eſt intendere, quod verborum contextus obviè ſonat legenti vel audienti. Excipe Sacræ Scripturæ authorem Deum, qui ex cauſis allegatis ab Auguſtino *de doctrina Chriſtiana lib.* 2. multis in locis obſcurè loquutus eſt *multis modis & multifariam.* Quamquam ſæpè id, quod uno loco obſcurius dictum, alio clarius ab eodem explicatum.

ARTICVLVS V.

Quot modis dicatur ſenſus intentus ab Authore.

36. MIra & hactenus inaudita cudunt nobis hac in parte, & plebeculæ inſtillant ſuis, præſertim Gallicis, libellis Novelli-Theologi. Aliquas ipſorum ſententiam referam infra. Prius rem ipſam videamus & quæſtionem propoſitam.

Quæſtio hæc pervadit univerſam Scripturam Sacram, jus Canonicum, Civile, Concilia, Sanctos Patres, ſcripta cujuſcumque, ac dicta.

Ferè omnes Pandectarum leges ſunt *de ſenſu intento* per Prætorum edicta, Senatuſconſulta, Imperatorum leges, contrahentis, paciſcentis, teſtantis verba. Super quorum ſenſu reſponderunt, vel ſcripſerunt illi, ex quorum libris exceptæ ſunt dictæ leges. Hoc cuique Juriſconſulto notum. Similiter quæſtiones innumeræ Sanctorum Patrum ac Interpretum Sacræ Scripturæ ſunt de ſenſu, quem Chriſtus, Apoſtoli, & generatim Spiritus Sanctus in-

Digitized by Google

tendit per hæc vel per illa verba. Hoc & Theologis notum. Plurimi quoque Canones ſunt de ſenſu intento. V. g. *cap.* 1. ✠ *de ſacra Unctione, cap.* 8. ✠ *de divortiis, cap.* 3. ✠ *de Baptiſmo, cap.* 6. *&* 8. *de celebratione Miſſarum, cap.* 6. *de majoritate & obedientia, cap.* 6. *&* 8. *de fide inſtrumentorum &c.* non autem juris alicujus novi conſtitutio.

37. Actus ab animo pendentes dividunt Juriſconſulti in veros & præſumptos. Verum vocant, quem re ipſa agens vel proferens intendit. Præſumptum, qui attentis circumſtantiis, & diſpoſitione juris debuit ineſſe, & meritò cenſetur adfuiſſe. Hujus diviſionis ſæpiſſimè mentio fit apud ipſos in materia *de dolo*, quem ibidem dividunt in verum & præſumptum. Ita tradunt Corneus, Decius, Natta, Cephalus, Maſcardus, aliique plurimi quos refert Damhouderius *in locis parium* verbo, *dolus.* Ita quoque debitorem diſtinguit lex 60. *ff. de condictione indebiti*, ubi defectu probationum abſolutus, verè debitor manere dicitur. Et qui reipſa non debet, ſi tamen ex probationibus, quarum falſitas revinci nequit, condemnetur, pro debitore habetur, *Quia*, inquit lex 207. *de Reg. Iur. res judicata pro veritate eſt.*

38. Simili modo diſtingui poteſt ſenſus intentus, in verum; ſcilicet quem reipſa, ſcribens, aut proferens, in animo, habuit, & præſumptum, quem habere debuit, & quem habuiſſe merito præſumitur. Sic qui ex duobus objectis unum negat, in alterum creditur conſentire, inquit Gregorius Pontifex in *cap.* 5. ✠ *de præſumption.* ubi agens de Chriſto, cui Judæi objecerant, *Samaritanus es, & dæmonium habes.* Reſpondit, inquit Jeſus, *Ego dæmonium non habeo, duo quippe illata fuerunt ei, unum negavit, alterum tacendo conceſſit.*

39. Item qui intelligenti, & acceptanti jurat, promittit, vendit, præſumitur habuiſſe animum jurandi, & ſe obligandi &c. alias enim quid aliud eſt animo non obligandi ſe jurare, quam jusjurandum contemnere? Quam perjurium jam nunc concipere, quam ad ſimulationem authoritate numinis abuti? Et quid iterum aliud eſt jurare ſine animo jurandi quam pejerare ſine animo peccandi? Id eſt, perjurii fructum velle, reatum nolle; fallere juramento velle, obligari juramento nolle. Propterea meritò judices non admittunt in ſimilibus exceptionem *de defectu intentionis.*

Digitized by Google

40. Similiter ergo ſenſus ab aliquo Doctore vel authore intentus, vel eſt verus, quem re ipſa in mente habuit, dum locutus eſt, aut ſcripſit; vel eſt præſumptus, quem ſcilicet habuiſſe debuit.

Etſi autem ſeparentur hi ſenſus in ignorante vocis ſignificationem, impoſtore, mendace, perfido, & ſimilibus: ordinariè tamen in aliis concurrunt, nam in ſacra Scriptura, Legibus, ſanctis Eccleſiæ Patribus, non poteſt dici alius eſſe ſenſus, qui per verba importatur, alius, quam author mente agitavit; quin committatur gravis in Deum blaſphemia, in Principem injuria, in ſanctos Patres contumelia. Si tamen (quod fieri poteſt) quiſpiam reputatus Catholicus, aliud ſentiret credendum ad ſalutem vel faciendum; aliud verbis doceret: talis vel ſumma laboravit ignorantia (ſi quod in re tanti momenti dixit) non intellexit, vel impoſtura, ſi intellexerit. Quam diu autem de tanta impoſtura non convincitur, id cenſendus eſt, agitaſſe mente quod expreſſit ſermone, voces enim ſunt ſigna affectuum, & quidem inter ſigna obtinent principatum, D. Tho. 2. 2. *q.* 55. *a.* 2. *ad* 2. *& q.* 72. 1. *in corp.*

ARTICVLVS VI.

An quæſtio de ſenſu intentio ab Authore, ſeu ſcribente aut loquente non ſit aliquando facti quæſtio, & quotupliciter adhuc dicatur ſenſus intentus.

41. Poteſt eſſe aliquot caſibus quæſtio facti. Idque dupliciter, abſolutè ſcilicet, & reſpectivè. Abſolutè dum ita obſcurè locutus eſt, ut etiam ab illis, qui perfectè intelligunt idioma, quo uſus eſt, colligi non poſſit quid voluerit. Secundò etiam quando locutus eſt clarè, poteſt, etiam apud eos qui idioma intelligunt, intervenire facti quæſtio; ſi quæratur, *An homo in animo revera habuerit, quod verbis expreſſit.* Quæri enim poteſt, an verborum, quibus eſt uſus, ſignificationem intellexerit: Aut an non voluerit fallere.

Digitized by Google

42. Etiam tunc, ubi loquens, vel ſcribens, intellexit id quod dixit, ac mentem verbis aptis, ſeu correſpondentibus intentioni expreſſit, & quem conſtat fallere noluiſſe, quæſtio de ſenſu per ipſum intento, adhuc poteſt eſſe *quæſtio facti reſpectivè*, licet reſpectu aliorum ſit *quæſtio juris*. V. g. erit quæſtio facti, ſi legens vel audiens illud idioma non intelligat; aut vox aliqua ſpecialem habeat in aliqua civitate vel provincia ſignificationem, quam non habet in alia. Voces ejuſmodi reperiuntur in plurimis Galliarum & vicinarum illis partium conſuetudinibus, ſuper quibus ſcripſerunt plurimi, & ſimilium vocum uſum explicuerunt. Igitur in judiciis ſeu tribunalibus, in quibus non eſt notus illius vocis uſus, ſi quæſtio ſuper contractibus in ejuſmodi provincia aut civitate factis, ad judicem alterius territorii deferatur, (quia v. g. jam ſub illo debitor domicilium habet) quæſtio de uſu particularis ejuſmodi uocis, erit facti: & ille probandus erit ab actore.

43. His præmiſſis, antequam propoſitæ in hoc Art. quæſtioni reſpondeam dico ſenſum intentum dici dupliciter; nempe reſpectu audientis & legentis, & reſpectu proferentis vel ſcribentis. Priori modo ſenſus intentus eſt ille, quem verba ſignificant, nam hominum communitas, quæ talem vel talem vocis uſum inſtituit, voluit, ut audiens vel legens illum in mente conceptum haberet, ad quem voces ſunt ordinatæ. Igitur qui iſta, vel iſta voce utitur, intendit illum ſenſum in audiente vel legente generari, quem verba, ſecundùm communem intellectum in talibus vel talibus circumſtantiis ſonant. Quâ de re ita *cap.* 7. ꝟ *de ſponſal. & matrim.* dicitur: *Inſpiciendum eſt Iudici, ſi Matrimonium contracturi, ad id faciendum ſunt idonei ſcientia & ætate: quo cognito, ſi alter non intellexerit quod alter propoſuit, ad communem verbi intelligentiam recurratur, & cogatur uterque; verba prolata in eo ſenſu retinere, quem ſolent rectè intelligentibus generare.* Niſi aliunde conſtet, clarè, quod metaphoricè, figuratè, aut impropriè quis loquatur.

Idem docent Leges, inter quas lex 7. *ff. de ſuppellectile, ait non ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu verba exaudiri debent.*

44. Præterea, *Verba* (teſte Ariſtotele, quem Philoſophi & Theologi ſequuntur) *ſigna ſunt affectuum, qui in anima ſunt.* Ad hoc enim ſunt inſtituta, ut conceptus noſtros alteri communicemus. Ideò

35. Hoc

Ideo in dicta l. 7. dicitur, *quorſum nomina, niſi ut demonſtrent voluntatem dicentis? Nemo exiſtimandus eſt dixiſſe, quod non mente agitaverit.* E contrario, *Si nomine ſuo, ſeu quo res ſignificatur, quis ſit uſus, eſt exiſtimandus dixiſſe*, inquit eadem Lex.

45. Itaque clarè patet quæſtionem *de ſenſu intento*, eſſe quæſtionem juris, non facti (exceptis caſibus ſupra poſitis) ſive reſpectu habito ad audientem, vel legentem, ſive ad loquentem aut ſcribentem, eſt enim quæſtio, *quem ſenſum habere debeat ex præſumptione juris*, expreſsè fundata in dicto c. 7. & in dicta l. 7.

46. Hinc vulgata illa apud Doctores utriuſque juris axiomata: animus ſeu intentio talis præſumitur, qualem verba declarant, *Gloſſa in l. Fulcinius §. ſed ſi ff. ex quibus cauſis in poſſeſſionem eatur, l. 7. ff. de ſupellectile, l. 21. §. 4. ff. de annuis legatis*, nullum majus eſt mentis noſtræ teſtimonium, quam qualitas inſpecta verborum, inquit Menochius poſt Caſſiodorum *lib. 6. præſumpt. 35. lib. 5. præſumpt. 1.* ubi multa alia congerit, fundata in obigatione illa, quam ſuccincte explicat D. Thomas 2. 2. *q.* 109. *a.* 3. *ad* 1. his verbis, *quia homo eſt animal ſociale naturaliter debet alter id ſine quo ſocietas humana ſervari non poſſet; non poſſent autem, niſi ſibi invicem crederent, tamquam ſibi invicem manifeſtantibus veritatem.*

47. Et ut ante dixi pleræque quæſtiones juris ſunt de ſenſu intento vel per legiſlatorem; vide ſi lubet leges ſubjectas ſequentibus Titulis Pandectarum, *quod quiſque juris: de in jus vocando: de his qui notantur infamia: quod metus cauſa: de dolo malo: de minoribus: ex quibus cauſis majores: de his qui effuderunt: ad legem Rhodiam: de ædilitio edicto:* Item, *totum penè librum* 43. *Pandectarum ad legem Iuliam de adulteriis &c.*

Vel per Judicem, vide *l.* 4. 5. 6. 15. 43. 59. *&* 63. *ff. de re judicata.*

Vel per privatum, v. g. ſcribentem paciſcentem, contrahentem, donantem, legantem, teſtantem &c. vide *l.* 40. *&* 47. *ff. de pactis l.* 37. *&* 58. *ff. de uſufructu, l.* 10. 12. 15. *ff. de uſu & habitat. l.* 20. *&* 23. *ff. de ſervitut. urban. l.* 29. 30. 31. *& ſeq. ff. de ſervitut. ruſtic. l.* 28. *l.* 28. *&* 30. *ff. de jure jurando, l.* 6. 9. *ff. de condicit. cauſa data, l.* 3. *&* 8. *de eo quod certo loco, l.* 12. 24. 26. 28. *ff. depoſiti l.* 12. *§.* 12. *l.* 16. 34. 60. *ff. mandati.* In tota quoque mate-

ria contractuum, pignorum, dotium, in tota materia teſtamentaria pluribus libris comprehenſa, cæteriſque partibus,ſunt, ut dixi, reſponſa & quæſtiones de ſenſu intento per hæc aut iſta verba. Nec ullus hactenus Juris-Conſultus cenſuit ejuſmodi controverſias eſſe *facti quæſtiones* niſi in caſibus ante expreſſis.

Si verò quæras ad quod jus pertineat quæſtio de ſenſu intento? Reſpondeo aliquando ad Divinum, aliquando Canonicum, aliad civile, ſeu ad quod pertinent ſententiæ, de quarum ſenſu quæritur; ſive ſint ſententiæ Judicum, ſive authorum, v. g. ſanctorum Patrum.

48. Et generatim ſi jura percurramus, inveniemus quæſtionem *de ſenſu loquentis vel ſcribentis* tunc demum dici *quæſtionem facti* ſi vel idiomate ignoto, vel verbis adeo generalibus aut ambiguis locutus fuerit vel ſcripſerit, ut determinari non poſſit quid voluerit. Exemplum dedi ſupra ex leg. 94. *ff. de verb. oblig. & lib.* 1. *de donat.* ecce aliud ex *l.* 3. *ff. de auro & argento: Vxori legavit maritus, quæ ejus cauſa parata ſunt, & illa ante mortem divortit*, quæſitum eſt utrum marito mortuo debeat uxori ſolvere legatarius ea, quæ maritus ejus cauſa paraverat: Reſponſum eſt à Proculo, *Non deberi, quia adempta videantur.* Sed Celſus advertens nihil eſſe, *de ademptione dictum.* Reſpondit *facti quæſtionem eſſe: Quia*, inquit, *poteſt nec repudiata adimere voluiſſe.* Similiter in *l.* 33. *ff. de leg.* 3. cum teſtator, legaſſet *uxori ea quæ ejus uſui comparavit*, & poſt teſtamentum aliquamdiu vivens alia comparaſſet in ejus uſum, quæſitum eſt, *An hæc deberentur?* Reſpondet lex, *Nihil pro futuro poſt teſtamentum tempore ſignificari.* Igitur *facti quæſtio eſt quid teſtator voluerit.*

49. E contrario in *l.* 29. *ibid.* propoſito caſu diſſimili reſpondetur ad verba recurrendum pro ſolutione quæſtionis juris: *Verborum*, inquit, *facienda eſt interpretatio.* Et *ſi non ſit ambiguitas in verbis, non admittitur*, inquit l. 25. ibid. *quæſtio voluntatis.* Si denique ea ſit ambiguitas, ſeu rerum ſignificatarum diverſitas, ut determinari nequeat quid voluerit, minimè cenſetur utrumque dixiſſe: *In ambiguo ſermone*, ait l. 3. *ff. de rebus dubiis, non utrumque dicimus, ſed id dumtaxat quod volumus. Itaque qui aliud dixit, quam vult, neque id dicit quod vox ſignificat, quia non vult: neque id quod vult, quia id non loqui-*

50. Et

35. Hoc

50. Et iſta quidem ita obtinent juxta communem hominum & gentium uſum; ac propterea in jure communi relata. Habet tamen ſacra Scriptura aliquid ſpeciale (quod poſt Auguſtinum notant Theologi) videlicet quod interdum Prophetarum ſententiæ pluros habeant ſenſus litterales principaliter intentos; quos Spiritus S. poſtea aperuit, præſertim per novi Teſtamenti authoris: v. g. illud Pſ. 2. *Ego hodie genui te.*

ARTICVLVS VII.

Corollarium ex præcedentibus. Seu quod quæſtio de ſenſu intento, ubi quis verbis intelligibilibus uſus eſt ſit juris, & præſertim ubi quis docentis obit munus.

51. DOminus Damvilers in libro ſeu epiſtolis *de l'hereſie imaginaire*, aliique Novelli triumphant hoc verè puerili argumento. Intentio ſeu ſenſus intentus conſiſtit in animo; eſt internum cordis. Interna nullus noſcit niſi ſolus Deus: quia ſcriptum eſt, *Scrutans corda & renes Deus.* Deinde *hoc vel aliud* intendere eſt purum factum: ergo quæſtio, *an hoc vel illud ſcriptor intenderit eſt quæſtio facti.* In quæſtione facti Generale Concilium errare poteſt: ergo multo magis Pontifex, dum ſine illo procedit.

Reſpondeo primo, latet indubiè homine ſenſus tuus, & latebit quamdiu fores animi tui, verborum aut ſcripturæ tuæ clavibus non recludes: ſed ſi per illa, quæ affectuum animi tui ſigna ſunt, pandis internorum oſtia, ne mireris, ſi quis ingreditur illa. Nato Ioanne Baptiſta ignorabant vicini, quod nomen ipſi vellet imponi Zacharias, *Et innuebant patri ejus, quem vellet vocari eum,* hactenus latebat animi ſenſus, *At ille poſtulans pugillarem ſcripſit,* IOANNES EST NOMEN EIUS. Hac clave fores recluſæ ſunt, voluntatem & intentionem cognoverunt, & *mirati ſunt univerſi,* Luc. 1. Latuit dolus in

in animo accuſatorum Suſannæ, *Dan.* 13. quouſque Daniel verba ab iis extorſit: ſed dum unus dixit, *ſe illam vidiſſe peccantem ſub ſchino*, alter autem, *ſub prino*, rectè intulit Daniel, *Mentitus es in caput tuum, & omnis cœtus conſurrexit adverſus eoſdem. Convicerat enim*, inquit textus, *eos Daniel ex ore ſuo falſum dixiſſe teſtimonium.*

52. Miror quod non advertant novi & hujus temporis Evangelii præcones in ſuis libellis Anonymis vel ſub ementitis nominibus abſque illa Cenſoris approbatione vulgatis, ſe convellere authoritatem Generalium Concilorum, prædicatam in illis fidem deſtruere; dum quæſtionem de ſenſu intento à ſcribente vel loquente, faciunt quæſtionem facti, ut incautis vel indoctis diſcipulis ſuis, perſuadeant à Sancta Sede male damnatos eſſe aliquos authores vel libros, quorum ipſi patrocinium ſuſceperant; & ad ſui perverſi dogmatis probationem dicunt, *Concilia etiam Generalia in quæſtionibus facti eſſe errabilia*, confundentes quæſtionem facti, *cujus probatio ex particularium hominum depoſitionibus pendet*, cum illa quæſtione, *quem ſenſum intendere debuit, & juris præſumptione habuit qui ſciens prudenſque hac vel illa verba, quorum ſignificatio eſt communiter nota, aut verborum ſententiam, ad alterum, animo mentem ſuam ei aperiendi, dixerit.* In hujuſmodi quæſtionis deciſione ſi etiam Generalia Concilia errori ſubjacere aſſerueris, omnino latiſſimam aperuiſti viam ſubvertendi omnia ipſorum Decreta, in quibus Patres Synodorum Nicenæ II. Conſtantinopolitanorum, Lateranenſium, Lugdunenſis, Florentinæ, Tridentinæ, aliarumque Oecumenicarum dixerunt, *ita doceri à SS. Patribus*, Auguſtino, Hieronymo, Baſilio, Amphilochio, ſemper enim excipiet Hæreticus *quæſtionem de illorum ſenſu eſſe quæſtionem facti & in quæſtionibus facti Concilia etiam Generalia errare poſſe.*

Satis & pluſquam ſatis hac de re jam dixiſſem; niſi mihi eſſet ſermo ad eos, qui veritati occluſas aut duras habent aures; quas propterea pulſare ſæpius neceſſe eſt, ut frangatur earum clauſtrum, vel emolleſcant. Recapitulabo igitur.

53. Præmiſi ſenſum intentum eſſe duplicem: *verum & præſumptum*, item dici intentum reſpectu proferentis & reſpectu, ejus ad quem fit ſermo: hoc eſt vel intelligi ſenſum quem proferens habuit in mente, aut habere debuit; vel illum quem vere aut interpre-

35. Hoc

terpretativè voluit generari in mente audientis. Si quæſtio ſit de ſenſu præſumpto proferentis, ſeu illo quem in mente habere debuit, ſi uti ſupponitur, quod loquebatur vel ſcribebat intellexit, tam evidenter eſt quæſtio juris, ut non niſi, ab ignaro poſſit in dubium revocari: reipſa enim enim quæritur, an eum in animo ſenſum habere debuerit quem verbis expreſſit; & conſequenter ſi illa exterius obligationem ſonent, an obligetur.

54. Hinc ex probatiſſimis quibuſque jurium Doctoribus ne unus dubitat quin juris quæſtio ſit v. g. an jurans, vovens promittens, obligetur ad voti promiſſionis, juramenti implementum? an & quatenus matrimonium contrahens obligetur ad conſummationem, profitens in religione ad paupertatem, emens conducens &c. ad ſolutionem. Et propterea omnes, earum reſolutiones ſunt ad jus relatæ, & eo inſertæ, *cap.* 21. 22. 23. 24. 27. ※ *de jurejurando*, *c.* 6. 8. 10. ※ *de voto. c.* 3. 4. 7. *eod. c.* 6. ※ *de ſtatu monachor. l.* 1. 2. 12. 13. *de act. emp. l.* 13. 24. 25. *&c. locati c.* 2. ※. *de fidejuſſ. cap.* 5. *de pignorib. cap.* 2. *cap.* 2. *Depoſiti. cap.* 1 *de pecul. &c.*

55. Nec minus ad jus pertinet quæſtio, *an jurans*, *promittens*, matrimonium contrahens, ſeu qui verba juramenti matrimonii, aut cujuſvis alterius contractus intelligenti & acceptanti profert, debeat habere intentionem jurandi & juramento ſe alligandi. Eum enim qui debitam intentionem non adhibet, pariter leges, & ſacri Canones, doli, & fraudis condemnant, *c.* 6. ※ *de ſponſalibus. Tuldenus de juriſprud. extemp. lib.* 1. *c.* 12. *l.* 1. *ff. de dolo l.* 6. *in fine ff. de acquirenda hæreditate*, ubi aditionis verba aut ſigna adhibens, reipſa autem hæreditatem animo ſeu intentione non adiens, fallere dicitur.

56. Hinc vulgata illa apud Doctores utriuſque juris axiomata: Animus ſeu intentio talis præſumitur, qualem verba declarant, *Gloſſa in l. Fulcinius §. ſed ſi ff. ex quibus cauſis in poſſeſſionem eatur*, *l.* 7. *ff. de ſuppellectile*, *l.* 21. *§. ff. de annus legatis*, nullum majus eſt mentis noſtræ teſtimonium, quam qualitas inſpecta verborum, *Menoch. poſt Caſſiodorum lib.* 6. *præſumpt.* 35. *lib.* 5. *præſumpt.* 7. *lib.* 3. *præſumpt.* 1. ubi multa alia congerit, ex ratione illa, quam ſuccinctè explicat D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 109. *art.* 3. *ad* 1. his verbis: *Quia homo eſt*

ſtatim patet ſolutio quæſtionis juris, an ſcilicet, qui agit obtinere debeat, vel perdere. Pergamus ad alia.

32. Vocum inſtitutio, item inſtitutio ſignificationis, earundem uſus ad alterum, & ſcriptura, ſunt facta: ſed talia ex quibus jura innumera & juris quæſtiones prodeunt. Ea enim ſunt inſtituta, ut ſint ſigna voluntatis & conceptum ejus, qui illis utitur. Quiſquis intelligit quod loquitur aut ſcribit, hoc ipſum ſentire debet interius quod verba prolata aut ſcripta ſonant exterius. Et hæc obligatio naſcitur ex communi gentium ſenſu ac quadam mutua ſponſione: per quam etiam fit ut alter, ad quem vel cujus utilitatem dirigitur verbum prolatum aut ſcriptum, jus habeat accipiendi in eo ſenſu quem oratio ſonat juxta uſum communem: Non enim, inquit *l. 7. ff. de ſupellectile legata, ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu verba exaudiri debent.* Ideo mota in eadem lege, quæſtione, *An legata ſupellectile veſtis contineretur, ſi teſtator putavit ſupellectilis nomine contineri?* Reſpondit Iuriſconſultus Tubero, *Non videri aut liquere ſibi* quod contineatur: *Nam*, inquit, *quorſum nomina, niſi ut demonſtrent voluntatem dicentis.*

33. Quod ſi veram ſignificationem verborum & ſententiæ ſuæ non intellexit, & de ejus ignorantia conſtet, non eſt cenſendus dixiſſe, inquit eadem lex, *quod non ſenſit.* Et paulò poſt: *Nemo exiſtimandus eſt dixiſſe, quod non mente agitaverit.*

Hinc eſt quod ſi, ut dixi, conſtet de mente verbis contraria, nihil egit, qui locutus eſt, vel ſcripſit: *Quoties*, inquit *lex 9. ff. de hæredibus inſtituendis, volens alium hæredem ſcribere, alium ſcripſerit errans in hominis corpore, placet neque eum hæredem eſſe, qui ſcriptus eſt, quoniam voluntate deficitur, neque eum quem voluit, quoniam ſcriptus non eſt.*

34. Inſuper qui alteri loquitur ſive docendo, ſive contrahendo, cenſetur velle, ut audiens apprehendat illud ipſum, quod verba & ſententiæ ſonant, etiamſi ipſemet mentiretur: ad quid enim aliud loquitur vel ſcribit? Et in eo mendacem à verace & doloſum à ſincero diſtinguimus, quod aliud ipſe ſentiat aliud intelligi velit; aut etiam mentem ſuam contra id, quod verba ſonant, interpretari ſatagat, l. 99. ff. de verb. oblig. *Non eſt*, inquit, *ferendus promiſſor, ſi ejus intererit, de aliis vaſis fortè, aut hominibus actum*, alias omne commercium tolleretur & ſocietatis humanæ communicatio.

35. Hoc etiam in docendi genere maximè obtinere poteſ Cum enim intentio docentis illa eſſe debeat, ut diſcipulorui mentibus rerum veritates inſtillet per ſigna maximè ad id apta conſequenter oportet, quod tam clarè quàm poteſt, ſe exprimat & ſuccinctè: ac potius Grammaticum agat, quam Plautum, Ter tullium, vel Ciceronem: ne obſcuritate verborum, vel multitu dine confundat. Quomodocumque tandem loquatur, etiamſi in anibus verborum floſculis delectetur, illud cenſendus eſt inten dere, quod verborum contextus obviè ſonat legenti vel audienti Excipe Sacræ Scripturæ authorem Deum, qui ex cauſis allegati ab Auguſtino *de doctrina Chriſtiana lib.* 2. multis in locis obſcur loquutus eſt *multis modis & multifariam.* Quamquam ſæpè id, quo uno loco obſcurius dictum, alio clarius ab eodem explicatum.

ARTICVLVS V.

Quot modis dicatur ſenſus intentus ab Authore.

36. Mira & hactenus inaudita cudunt nobis hac in parte & plebeculæ inſtillant ſuis, præſertim Gallicis, libellis Novelli-Theologi. Aliquas ipſorum ſententiam referam infra. Prius rem ipſam videamus & quæſtionem propoſitam.

Quæſtio hæc pervadit univerſam Scripturam Sacram, jus Canonicum, Civile, Concilia, Sanctos Patres, ſcripta cujuſcumque ac dicta.

Ferè omnes Pandectarum leges ſunt *de ſenſu intento* per Prætorum edicta, Senatuſconſulta, Imperatorum leges, contrahentis paciſcentis, teſtantis verba. Super quorum ſenſu reſponderunt vel ſcripſerunt illi, ex quorum libris exceptæ ſunt dictæ leges. Hoc cuique Juriſconſulto notum. Similiter quæſtiones innumeræ Sanctorum Patrum ac Interpretum Sacræ Scripturæ ſunt de ſenſu, quem Chriſtus, Apoſtoli, & generatim Spiritus Sanctus in-

tend:

Digitized by Google

tendit per hæc vel per illa verba. Hoc & Theologis notum. Plurimi quoque Canones ſunt de ſenſu intento. V. g. *cap.* 1. ※ *de ſacra Vnctione, cap.* 8. ※ *de divortiis, cap.* 3. ※ *de Baptiſmo, cap.* 6. *&* 8. *de celebratione Miſſarum, cap.* 6. *de majoritate & obedientia, cap.* 6. *&* 8. *de fide inſtrumentorum &c.* non autem juris alicujus novi conſtitutio.

37. Actus ab animo pendentes dividunt Juriſconſulti in veros & præſumptos. Verum vocant, quem re ipſa agens vel proferens intendit. Præſumptum, qui attentis circumſtantiis, & diſpoſitione juris debuit ineſſe, & meritò cenſetur adfuiſſe. Hujus diviſionis ſæpiſſimè mentio fit apud ipſos in materia *de dolo*, quem ibidem dividunt in verum & præſumptum. Ita tradunt Corneus, Decius, Natta, Cephalus, Maſcardus, aliique plurimi quos refert Damhouderius *in locis parium* verbo, *dolus.* Ita quoque debitorem diſtinguit lex 60. *ff. de condictione indebiti*, ubi defectu probationum abſolutus, verè debitor manere dicitur. Et qui reipſa non debet, ſi tamen ex probationibus, quarum falſitas revinci nequit, condemnetur, pro debitore habetur, *Quia*, inquit lex 207. *de Reg. Iur. res judicata pro veritate eſt.*

38. Simili modo diſtingui poteſt ſenſus intentus, in verum; ſcilicet quem reipſa, ſcribens, aut proferens, in animo, habuit, & præſumptum, quem habere debuit, & quem habuiſſe merito præſumitur. Sic qui ex duobus objectis unum negat, in alterum creditur conſentire, inquit Gregorius Pontifex in *cap.* 5. ※ *de præſumption.* ubi agens de Chriſto, cui Judæi objecerant, *Samaritanus es, & dæmonium habes.* Reſpondit, inquit Jeſus, *Ego dæmonium non habeo, duo quippe illata fuerunt ei, unum negavit, alterum tacendo conceſſit.*

39. Item qui intelligenti, & acceptanti jurat, promittit, vendit, præſumitur habuiſſe animum jurandi, & ſe obligandi &c. alias enim quid aliud eſt animo non obligandi ſe jurare, quam jusjurandum contemnere? Quam perjurium jam nunc concipere, quam ad ſimulationem authoritate numinis abuti? Et quid iterum aliud eſt jurare ſine animo jurandi quam pejerare ſine animo peccandi? Id eſt, perjurii fructum velle, reatum nolle; fallere juramento velle, obligari juramento nolle. Propterea meritò judices non admittunt in ſimilibus exceptionem *de defectu intentionis.*

40. Similiter ergo ſenſus ab aliquo Doctore vel authore intentus, vel eſt verus, quem re ipſa in mente habuit, dum locutus eſt, aut ſcripſit; vel eſt præſumptus, quem ſcilicet habuiſſe debuit.

Etſi autem ſeparentur hi ſenſus in ignorante vocis ſignificationem, impoſtore, mendace, perfido, & ſimilibus: ordinariè tamen in aliis concurrunt, nam in ſacra Scriptura, Legibus, ſanctis Eccleſiæ Patribus, non poteſt dici alius eſſe ſenſus, qui per verba importatur, alius, quam author mente agitavit; quin committatur gravis in Deum blaſphemia, in Principem injuria, in ſanctos Patres contumelia. Si tamen (quod fieri poteſt) quiſpiam reputatus Catholicus, aliud ſentiret credendum ad ſalutem vel faciendum; aliud verbis doceret: talis vel ſumma laboravit ignorantia (ſi quod in te tanti momenti dixit) non intellexit, vel impoſtura, ſi intellexerit. Quam diu autem de tanta impoſtura non convincitur, id cenſendus eſt, agitaſſe mente quod expreſſit ſermone, voces enim ſunt ſigna affectuum, & quidem inter ſigna obtinent principatum, D. Tho. 2. 2. *q.* 55. *a.* 2. *ad* 2. *& q.* 72. 1. *in corp.*

ARTICVLVS VI.

An quæſtio de ſenſu intentio ab Authore, ſeu ſcribente aut loquente non ſit aliquando facti quæſtio, & quotupliciter adhuc dicatur ſenſus intentus.

41. POteſt eſſe aliquot caſibus quæſtio facti. Idque dupliciter, abſolutè ſcilicet, & reſpectivè. Abſolutè dum ita obſcurè locutus eſt, ut etiam ab illis, qui perfectè intelligunt idioma, quo uſus eſt, colligi non poſſit quid voluerit. Secundò etiam quando locutus eſt clarè, poteſt, etiam apud eos qui idioma intelligunt, intervenire facti quæſtio; ſi quæratur, *An homo in animo revera habuerit, quod verbis expreſſit.* Quæri enim poteſt, an verborum, quibus eſt uſus, ſignificationem intellexerit: Aut an non voluerit fallere.

Etiam

42. Etiam tunc, ubi loquens, vel ſcribens, intellexit id quod dixit, ac mentem verbis aptis, ſeu correſpondentibus intentioni expreſſit, & quem conſtat fallere noluiſſe, quæſtio de ſenſu per ipſum intento, adhuc poteſt eſſe *quæſtio facti reſpectivè*, licet reſpectu aliorum ſit *quæſtio juris*. V. g. erit quæſtio facti, ſi legens vel audiens illud idioma non intelligat; aut vox aliqua ſpecialem habeat in aliqua civitate vel provincia ſignificationem, quam non habet in alia. Voces ejuſmodi reperiuntur in plurimis Galliarum & vicinarum illis partium conſuetudinibus, ſuper quibus ſcripſerunt plurimi, & ſimilium vocum uſum explicuerunt. Igitur in judiciis ſeu tribunalibus, in quibus non eſt notus illius vocis uſus, ſi quæſtio ſuper contractibus in ejuſmodi provincia aut civitate factis, ad judicem alterius territorii deferatur, (quia v. g. jam ſub illo debitor domicilium habet) quæſtio de uſu particularis ejuſmodi uocis, erit facti: & ille probandus erit ab actore.

43. His præmiſſis, antequam propoſitæ in hoc Art. quæſtioni reſpondeam dico ſenſum intentum dici dupliciter: nempe reſpectu audientis & legentis, & reſpectu proferentis vel ſcribentis. Priori modo ſenſus intentus eſt ille, quem verba ſignificant, nam hominum communitas, quæ talem vel talem vocis uſum inſtituit, voluit, ut audiens vel legens illum in mente conceptum haberet, ad quem voces ſunt ordinatæ. Igitur qui iſta, vel iſta voce utitur, intendit illum ſenſum in audiente vel legente generari, quem verba, ſecundùm communem intellectum in talibus vel talibus circumſtantiis ſonant. Quâ de re ita *cap. 7. §. de ſponſal. & matrim.* dicitur: *Inſpiciendum eſt Iudici, ſi Matrimonium contracturi, ad id faciendum ſunt idonei ſcientia & ætate: quo cognito, ſi alter non intellexerit quod alter propoſuit, ad communem verbi intelligentiam recurratur, & cogatur uterque; verba prolata in eo ſenſu retinere, quem ſolent rectè intelligentibus generare.* Niſi aliunde conſtet, clarè, quod metaphoricè, figuratè, aut impropriè quis loquatur.

Idem docent Leges, inter quas lex 7. *ff. de ſuppellectile, ait non ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu verba exaudiri debent.*

44. Præterea, *Verba* (teſte Ariſtotele, quem Philoſophi & Theologi ſequuntur) *ſigna ſunt affectuum, qui in anima ſunt.* Ad hoc enim ſunt inſtituta, ut conceptus noſtros alteri communicemus.

Ideò

Ideo in dicta l. 7. dicitur, *quorſum nomina, niſi ut demonſtrent voluntatem ditentis? Nemo exiſtimandus eſt dixiſſe, quod non mente agitaverit.* E contrario; *Si nomine ſuo, ſeu quo res ſignificatur, quis ſit uſus, eſt exiſtimandus dixiſſe*, inquit eadem Lex.

45. Itaque clarè patet quæſtionem *de ſenſu intento*, eſſe quæſtionem juris, non facti (exceptis caſibus ſupra poſitis) ſive reſpectu habito ad audientem, vel legentem, ſive ad loquentem aut ſcribentem, eſt enim quæſtio, *quem ſenſum habere debeat ex præſumptione juris*, expreſsè fundata in dicto c. 7. & in dicta l. 7.

46. Hinc vulgata illa apud Doctores utriuſque juris axiomata: animus ſeu intentio talis præſumitur, qualem verba declarant, *Gloſſa in l. Fulcinius* §. *ſed ſi ff. ex quibus cauſis in poſſeſſionem eatur*, *l. 7. ff. de ſupellectile*, *l. 21. §. 4. ff. de annus legatis*, nullum majus eſt mentis noſtræ teſtimonium, quam qualitas inſpecta verborum, inquit Menochius poſt Caſſiodorum *lib. 6. præſumpt.* 35. *lib.* 5. *præſumpt.* 1. ubi multa alia congerit, fundata in obigatione illa, quam ſuccinctè explicat D. Thomas 2. 2. *q.* 109. *a.* 3. *ad* 1. his verbis, *quia homo eſt animal ſociale naturaliter debet alter id ſine quo ſocietas humana ſervari non poſſet; non poſſent autem, niſi ſibi invicem crederent, tamquam ſibi invicem manifeſtantibus veritatem.*

47. Et ut ante dixi pleræque quæſtiones juris ſunt de ſenſu intento vel per legiſlatorem; vide ſi lubet leges ſubjectas ſequentibus Titulis Pandectarum, *quod quiſque juris: de in jus vocando: de his qui notantur infamia: quod metus cauſa: de dolo malo: de minoribus: ex quibus cauſis majores: de his qui effuderunt: ad legem Rhodiam: de ædilitio edicto:* Item, *totum pene librum* 43. *Pandectarum ad legem Iuliam de adulteriis &c.*

Vel per Judicem, vide *l.* 4. 5. 6. 15. 43. 59. *&* 63. *ff. de re judicata.*

Vel per privatum, v. g. ſcribentem paciſcentem, contrahentem, donantem, legantem, teſtantem &c. vide *l.* 40. *&* 47. *ff. de pactis l.* 37. *&* 58. *ff. de uſufructu*, *l.* 10. 12. 15. *ff. de uſu & habitat. l.* 20. *&* 23. *ff. de ſervitut. urban. l.* 29. 30. 31. *& ſeq. ff. de ſervitut. ruſtic. l.* 28. *l.* 28. *&* 30. *ff. de jure jurando*, *l.* 6. 9. *ff. de condicit. cauſa data*, *l.* 3. *&* 8. *de eo quod certo loco*, *l.* 12. 24. 26. 28. *ff. depoſiti l.* 12. §. 12. *l.* 16. 34. 60. *ff. mandati.* In tota quoque mate-

Digitized by Google

ria contractuum, pignorum, dotium, in tota materia teſtamentaria pluribus libris comprehenſa, cæteriſque partibus, ſunt, ut dixi, reſponſa & quæſtiones de ſenſu intento per hæc aut iſta verba. Nec ullus hactenus Juris-Conſultus cenſuit ejuſmodi controverſias eſſe *facti quaſtiones* niſi in caſibus ante expreſſis.

Si verò quæras ad quod jus pertineat quæſtio de ſenſu intento? Reſpondeo aliquando ad Divinum, aliquando Canonicum, aliad civile, ſeu ad quod pertinent ſententiæ, de quarum ſenſu quæritur; ſive ſint ſententiæ Judicum, ſive authorum, v. g. ſanctorum Patrum.

48. Et generatim ſi jura percurramus, inveniemus quæſtionem *de ſenſu loquentis vel ſcribentis* tunc demum dici *queſtionem facti* ſi vel idiomate ignoto, vel verbis adeo generalibus aut ambiguis locutus fuerit vel ſcripſerit, ut determinari non poſſit quid voluerit. Exemplum dedi ſupra ex leg. 94. *ff. de verb. oblig. & lib.* 1. *de donat.* ecce aliud ex *l.* 3. *ff. de auro & argento: Vxori legavit maritus, qua ejus cauſa parata ſunt, & illa ante mortem divortit*, quæſitum eſt utrum marito mortuo debeat uxori ſolvere legatarius ea, quæ maritus ejus cauſa paraverat: Reſponſum eſt à Proculo, *Non deberi, quia adempta videantur.* Sed Celſus advertens nihil eſſe, *de ademptione dictum.* Reſpondit *facti quaſtionem eſſe: Quia*, inquit, *poteſt nec repudiata adimere voluiſſe.* Similiter in *l.* 33. *ff de leg.* 3. cum teſtator, legaſſet *uxori ea qua ejus uſui comparavit*, & poſt teſtamentum aliquamdiu vivens alia comparaſſet in ejus uſum, quæſitum eſt, *An hæc deberentur?* Reſpondet lex, *Nihil pro futuro poſt teſtamentum tempore ſignificari.* Igitur *facti quaſtio eſt quid teſtator voluerit.*

49. E contrario in *l.* 29. *ibid.* propoſito caſu diſſimili reſpondetur ad verba recurrendum pro ſolutione quæſtionis juris: *Verborum*, inquit, *facienda eſt interpretatio.* Et *ſi non ſit ambiguitas in verbis, non admittitur*, inquit l. 25. ibid. *quaſtio voluntatis.* Si denique ea ſit ambiguitas, ſeu rerum ſignificatarum diuerſitas, ut determinari nequeat quid voluerit, minimè cenſetur utrumque dixiſſe: *In ambiguo ſermone*, ait l. 3. *ff. de rebus dubiis, non utrumque dicimus, ſed id dumtaxat quod volumus. Itaque qui aliud dixit, quam vult, neque id dicit quod vox ſignificat, quia non vult: neque id quod vult, quia id non loquitur.*

Digitized by Google

50. Et iſta quidem ita obtinent juxta communem hominum & gentium uſum; ac propterea in jure communi relata. Habet tamen ſacra Scriptura aliquid ſpeciale (quod poſt Auguſtinum notant Theologi) videlicet quod interdum Prophetarum ſententiæ pluros habeant ſenſus litterales principaliter intentos; quos Spiritus S. poſteà aperuit, præſertim per novi Teſtamenti authoris: v. g. illud Pſ. 2. *Ego hodie genui te.*

ARTICVLVS VII.

Corollarium ex præcedentibus. Seu quod quæſtio de ſenſu intento, ubi quis verbis intelligibilibus uſus eſt ſit juris, & præſertim ubi quis docentis obit munus.

51. Dominus Damvilers in libro ſeu epiſtolis *de l'hereſie imaginaire*, aliique Novelli triumphant hoc verè puerili argumento. Intentio ſeu ſenſus intentus conſiſtit in animo; eſt internum cordis. Interna nullus noſcit niſi ſolus Deus: quia ſcriptum eſt, *Scrutans corda & renes Deus.* Deinde *hoc vel aliud* intendere eſt purum factum: ergo quæſtio, *an hoc vel illud ſcriptor intenderit eſt quæſtio facti.* In quæſtione facti Generale Concilium errare poteſt: ergo multo magis Pontifex, dum ſine illo procedit.

Reſpondeo primo, latet indubiè homine ſenſus tuus, & latebit quamdiu fores animi tui, verborum aut ſcripturæ tuæ clavibus non recludes: ſed ſi per illa, quæ affectuum animi tui ſigna ſunt, pandis internorum oſtia, ne mireris, ſi quis ingreditur illa. Nato Ioanne Baptiſta ignorabant vicini, quod nomen ipſi vellet imponi Zacharias, *Et innuebant patri ejus, quem vellet vocari eum*, hactenus latebat animi ſenſus, *At ille poſtulans pugillarem ſcripſit,* IOANNES EST NOMEN EIUS. Hac clave fores recluſæ ſunt, voluntatem & intentionem cognoverunt, & *mirati ſunt univerſi,* Luc. 1. Latuit dolus in

in animo accuſatorum Suſannæ, *Dan.* 13. quouſque Daniel verba ab iis extorſit: ſed dum unus dixit, *ſe illam vidiſſe peccantem ſub ſchino*, alter autem, *ſub prino*, rectè intulit Daniel, *Mentitus es in caput tuum, & omnis cœtus conſurrexit adverſus eoſdem. Convicerat enim*, inquit textus, *eos Daniel ex ore ſuo falſum dixiſſe teſtimonium.*

52. Miror quod non advertant novi & hujus temporis Evangelii præcones in ſuis libellis Anonymis vel ſub ementitis nominibus abſque illa Cenſoris approbatione vulgatis, ſe convellere authoritatem Generalium Concilorum, prædicatam in illis fidem deſtruere, dum quæſtionem de ſenſu intento à ſcribente vel loquente, faciunt quæſtionem facti, ut incautis vel indoctis diſcipulis ſuis, perſuadeant à Sancta Sede male damnatos eſſe aliquos authores vel libros, quorum ipſi patrocinium ſuſceperant; & ad ſui perverſi dogmatis probationem dicunt, *Concilia etiam Generalia in quæſtionibus facti eſſe errabilia*, confundentes quæſtionem facti, *cujus probatio ex particularium hominum depoſitionibus pendet*, cum illa quæſtione, *quem ſenſum intendere debuit, & juris præſumptione habuit qui ſciens prudenſque hac vel illa verba, quorum ſignificatio eſt communiter nota, aut verborum ſententiam, ad alterum, animo mentem ſuam ei aperiendi, dixerit*. In hujuſmodi quæſtionis deciſione ſi etiam Generalia Concilia errori ſubjacere aſſerueris, omnino latiſſimam aperuiſti viam ſubvertendi omnia ipſorum Decreta, in quibus Patres Synodorum Nicenæ II. Conſtantinopolitanorum, Lateranenſium, Lugdunenſis, Florentinæ, Tridentinæ, aliarumque Oecumenicarum dixerunt, *ita doceri à SS. Patribus*, Auguſtino, Hieronymo, Baſilio, Amphilochio, ſemper enim excipiet Hæreticus *quæſtionem de illorum ſenſu eſſe quæſtionem facti & in quæſtionibus facti Concilia etiam Generalia errare poſſe.*

Satis & pluſquam ſatis hac de re jam dixiſſem; niſi mihi eſſet ſermo ad eos, qui veritati occluſas aut duras habent aures; quas propterea pulſare ſæpius neceſſe eſt, ut frangatur earum clauſtrum, vel emolleſcant. Recapitulabo igitur.

53. Præmiſi ſenſum intentum eſſe duplicem: *verum & præſumptum*, item dici intentum reſpectu proferentis & reſpectu, ejus ad quem fit ſermo: hoc eſt vel intelligi ſenſum quem proferens habuit in mente, aut habere debuit; vel illum quem vere aut interpre-

terpretativè voluit generari in mente audientis. Si quæſtio ſit de ſenſu præſumpto proferentis, ſeu illo quem in mente habere debuit, ſi uti ſupponitur, quod loquebatur vel ſcribebat intellexit, tam evidenter eſt quæſtio juris, ut non niſi, ab ignaro poſſit in dubium revocari: reipſa enim enim quæritur, an eum in animo ſenſum habere debuerit quem verbis expreſſit; & conſequenter ſi illa exterius obligationem ſonent, an obligetur.

54. Hinc ex probatiſſimis quibuſque jurium Doctoribus ne unus dubitat quin juris quæſtio ſit v. g. an jurans, vovens promittens, obligetur ad voti promiſſionis, juramenti implementum? an & quatenus matrimonium contrahens obligetur ad conſummationem, profitens in religione ad paupertatem, emens conducens &c. ad ſolutionem. Et propterea omnes, earum reſolutiones ſunt ad jus relatæ, & eo inſertæ, *cap.* 21. 22. 23. 24. 27. ※ *de jurejurando, c.* 6. 8. 10. ※ *de voto. c.* 3. 4. 7. *eod. c.* 6. ※ *de ſtatu monachor. l.* 1. 2. 12. 13. *de act. emp. l.* 13. 24. 25. *&c. locati c.* 2. ※. *de fidejuſſ. cap.* 5. *de pignorib. cap.* 2. *cap.* 2. *Depoſiti. cap.* 1 *de pecul. &c.*

55. Nec minus ad jus pertinet quæſtio, *an jurans, promittens*, matrimonium contrahens, ſeu qui verba juramenti matrimonii, aut cujuſvis alterius contractus intelligenti & acceptanti profert, debeat habere intentionem jurandi & juramento ſe alligandi. Eum enim qui debitam intentionem non adhibet, pariter leges, & ſacri Canones, doli, & fraudis condemnant, *c.* 6. ※ *de ſponſalibus. Tuldenus de juriſprud. extemp. lib.* 1. *c.* 12. *l.* 1. *ff. de dolo l.* 6. *in fine ff. de acquirenda hæreditate*, ubi aditionis verba aut ſigna adhibens, reipſa autem hæreditatem animo ſeu intentione non adiens, fallere dicitur.

56. Hinc vulgata illa apud Doctores utriuſque juris axiomata: Animus ſeu intentio talis præſumitur, qualem verba declarant, *Gloſſa in l. Fulcinius §. ſed ſi ff. ex quibus cauſis in poſſeſſionem eatur, l.* 7. *ff. de ſuppellectile, l.* 21. *§. ff. de annus legatis*, nullum majus eſt mentis noſtræ teſtimonium, quam qualitas inſpecta verborum, *Menoch. poſt Caſſiodorum lib.* 6. *præſumpt.* 35. *lib.* 5. *præſumpt.* 7. *lib.* 3. *præſumpt.* 1. ubi multa alia congerit, ex ratione illa, quam ſuccincte explicat D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 109. *art.* 3. *ad* 1. his verbis: *Quia homo eſt*

Digitized by Google

animal ſociale, naturaliter debet alteri id, ſine quo ſocietas humana ſervari non poſſet, non poſſent autem ſibi invicem convivere, niſi ſibi invicem crederent, tamquam ſibi invicem manifeſtantibus veritatem.

57. Si quæſtio ſit de ſenſu quem phyſicè, ſeu re ipſa, in mente habuit proferens; fateor hanc eſſe facti; quia fieri poteſt & fit ſæpè, quod mentiatur, aut vim verborum non intelligat: ſed hoc in eo, quæ docentis officio fungitur (ſi Catholicus eſt, & verè Doctoris nomen mereatur) admitti non debet: & qui ad eum excuſandum prætendit illum habuiſſe ſenſum alium, quam ſonet verborum contextus, fateri debet illum fuiſſe vel impoſtorem vel ignarum.

Qualiſcumque tandem fuerit, ſi quæratur de ſenſu intento reſpectu habito ad eum ad quem ſermo habitus eſt; certum eſſe deapud omnes quod debuerit velle generari in mente audientis vel legentis illum ſenſum, quem ſonat contextus verborum: ad hoc enim verba ſunt inſtituta, & eo fine illis utitur, quiſquis ad alterum verbis utitur. Igitur qui audit, vel legit, habet jus intelligendi verborum ſententias ſecundùm id, quod contextus ſonat, ergo, ſi quæritur *de ſenſu intento relatione facta ad eum, ad quem fit ſermo:* idem eſt ac ſi quæreretur, *in quem ſenſum habet ille jus accipiendi, vel debet accipere talem, vel talem, verborum ſententiam.* Quam quæſtionem ſi juris eſſe negaveris, verè te juris ignariſſimum oſtendis.

ARTICVLVS VIII.

Oſtenditur quod Eccleſia ſemper uſque ad hæc tempora, de ſenſu à Scriptoribus ſacris, à SS. Patribus, vel aliis Authoribus, etiam hæreticis intento, judicium tulerit ex verborum contextu.

58 ITa proceſſit Concilium Nicænum I. quod intendens probare pluralitatem divinarum perſonarum & filii divinitatem, uti patet ex libro ſecundo *de geſtis poſt ſublatum Licinium cap.* 15. ait, dixit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem*

tudinem noſtram. Verbi, faciamus, *ſignificatio perſonam eſſe concreantem indicat & æqualem appellationem inducit.* Item cap. 16. "Intelligen-„ dum eſt, inquit, quod Pater & Filius ſecundùm ſubſtantiam „ Deitatis unum ſint, ſicut & in Evangelio ipſe Filius clamat, *Ego „ & Pater unum ſumus &c*". Iterum cap. 17. " Audi, Philoſophe, „ teſtimonia ex Divinis Scripturis Patri Filium eſſe adſtruenti-„ bus coæternum Creatoremque & opificem omnium creatarum „ naturarum, dixit enim Deus, *faciamus hominem ad imaginem & ſi-„ militudinem noſtram*, perſonam cooperantem compellare natura „ comparatum eſt, non inſtrumenta; & in eo quod ait, *faciamus „ hominem*, perſonæ *authoritatem ſignificat, & tollit inſtrumentorum „ cogitationem*".

59. Conformites Alexander I. *Epiſt.* 1. *cap.* 6. fidem SS. Trinitatis, ſeu Dei revelantis ſenſum ex ipſius Scripturæ verbis ita eruit, ait Iſaias Propheta, *Clamabant ad alterum dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth:* " Si Trinitas non eſt, quare „ tertio *Sanctus?* Si unitas non eſt, quare ſub trina repetitione „ Deum ac Dominum intimarunt? Si Trinitas non eſt, qui in „ Exodo dictum eſt tertio, *Domine, Domine, Domine, miſerator & mi-„ ſericors?* Si unitas non eſt, quare dum diceret tertio, *Domine*, „ poſteà ſingulariter, *miſerator*, dixit, & non, *miſeratores &c*".

Ita quoque Concilium Tridentinum, in locis antea relatis, ex ipſis verbis ſenſum à Chriſto & Apoſtolis intentum colligit, & inde ſeſſ. 6. 7. 14. 21. 22. 23. ad definitionis Fidei & Canones procedit. Idem obſervatum in aliis, ut cernere ſingulariter licet in Epheſino ſub Cœleſtino Papa, ubi Sacræ Scripturæ ſenſus de Deo intentus non aliundè deducitur, quam ex ipſius Scripturæ verbis, quæ longo ordine referuntur. Ad quas etiam malè profectô Chriſtus ipſe *Ioan.* 5. nos remitteret & diceret, *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in illis vitam æternam habere, & illa ſunt quæ teſtimonium perhibent de me, &c.* Malè, inquam, ſi ſenſus à Deo intentus, ſeu id quod credi voluit, ex illis cognoſci certò non poſſet. Non dico quemlibet eſſe illius Iudicem: ſed aliquos aut aliquem à quo deinde diſcant cæteri.

60. Non aliter obſervatur, ubi controverſia eſt de ſenſu intento per Sanctos Patres. Cum in Concilio Florentino conve-

 niſſet

niſſet, ut diſputationis termini forent Sacra Scriptura & Sancti Patres; & quo ad ſenſum ab his intentum Epheſinus, & alii pro parte Græcorum ad illum diſcutiendum aſſumpti, diſſentirent à Latinis: ſtatim provocatum eſt ad verba, & circumſtantias, quibus erant prolata; ſignanter à S. Baſilio: & ex illis deciſa eſt graviſſima illa tot annorum controverſia *de Proceſſione Spiritus Sancti à Filio. Concil. Floren. ſeſſ.* 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25.

61. In Chalcedonenſi ſub Leone *actione* 6. lecto per Primicerium Notariorum ſymbolo, ſubjunctum eſt. "Huic fidei omnes ,, convenit conſentire, quoniam vero quidam ſimulant confiteri eam, falsè vero interpretantur intellectus virtutem ad id, ,, quod eis placet, & circumveniunt veritatem erroris & perditionis filii, neceſſarium viſum eſt ſanctorum Patrum proferre teſtimonia, quæ poſſint ſatisfacere, quemadmodum intellexerunt, ,, & prædicare confiſi ſint; quatenus & manifeſtum ſit quod omnes rectam & immaculatam fidem habentes ſic intelligant interpretentur & prædicent". *Intellectus* ergo ſeu *ſenſus intentus* ex verbis & quidem manifeſtè erui ſupponitur.

Eapropter Sanctus Leo I. in Epiſtola 97. ſcripta ad Leonem Auguſtum contra Etychetis perfidiam, poſt expoſitam de Chriſti natura fidem, concludit hoc modo. "Ut autem pietas tua cum venerabilium patrum prædicatione nos concordare cognoſcat, ,, aliquantas eorum ſententias huic credidi ſubjiciendas eſſe ſermoni, quibus ſi digneris attendere, non aliud nos prædicare reperies, quam quod ſancti Patres noſtri toto orbe docuerunt". Tum adductis SS. Hilarii, Athanaſii, Ambroſii, Auguſtini, Chryſoſtomi, Gregorii, Baſilii, Cyrilli verbis, finaliter iterum ita concludit, *Hæc nos ſequi Verba debemus, & credere manſiſſe etiam in aſſumptione Carnis Deum, quod erat: hoc fidei ratio proteſtatur:* IN TALI SENSU SANCTOS PATRES FUISSE COMPERIMUS.

Et ne putet quis ſecus eſſe ubi agitur de ſenſu alicujus alterius, V. g. hæretici, audiat Cæleſtinum Pontificem ad Cyrillum, *Dicta illius* (Neſtorii) *intuentes, anxiaque cogitatione pertractantes, qui pravis ſuis ſermonibus Eccleſiam turbare nititur, non mediocriter animo agitamur.* Quomodo ejus dignoſcit *Niſum* Papa, niſi ex verbis? *dicta illius,* inquit, *intuentes.*

62. Au-

62. Audiat Concilium Lateran. ſub Mart. I. " Codex, ait, ,, Theodori Pharanitæ ſuſcipiatur, & Loca, quæ prænotata ſunt, ,, in quibus ille de diſpenſatione Chriſti Salvatoris noſtri pro- ,, priam Confeſſionem inſtituit, lectioni vulgentur". Lecta ſunt, quid inde ſecutum ? " Per ſuas voces, ait S. Pontifex in Concilio ,, prædicto, propriam ille profeſſionem inanem & vacuam de- ,, monſtravit, ut in eo impleatur, quod dictum eſt; *Iniquitates ſuæ ,, capiunt impium & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*".

Perlegat, ſi lubet, quæ in eodem Concilio ſequuntur, & deprehendet ad demonſtrandum Hæretici illius doctrinam ſenſui Sanctorum Patrum repugnare, ſtatim in medium prolata fuiſſe verba SS. Cyrilli, Baſilii, Gregorii, &c.

63. Quid aliud dictum eſt cum Cyro, Sergio, Themiſtio ? Quorum verbis lectis, reſpondit iterum Pontifex: " Notum fecit ,, Themiſtius Hæreticus PER SUOS SERMONES, qui in præſenti ,, nobis relicti ſunt, quoniam ejus fructus, & diſcipuli ſunt Cy- ,, rus, & Sergius in dogmatibus, & ſicut ab eo edocti novam im- ,, mutando (corruperant autem textum S. Dionyſii) unam niſi ,, ſunt appellare: licet vehementiores illo in abnegatione verita- ,, tatis effecti ſunt, qui & ipſam Deivirilem Doctoris vocem in- ,, terimere penitus præſumpſerunt &c". *Parum infra*, contra Sanctorum Patrum profeſſionem, *propriam habent in deceptione animarum ſuarum*.

64. Lectâ iterum aliâ Cyri Alexandrini Epiſtolâ, ait cum Concilio Pontifex: " Per relectam in præſenti nobis Epiſtolam, ,, propriam conſonantiam Cyrus demonſtravit, quam cum Sergio ,, & Pyrrho habere oſtenditur. Ceciderunt *à ſpe ſuâ mentiti contra ,, caput proprium*, nec enim ſuſcepta eſt aut admiſſa ſecundùm *va- ,, nam eorum ſpem*, magis autem condemnata ab Apoſtolica Autho- ,, ritate eorum Ecthesis &c". An non judicium de ſenſu intento continent illa, PRÆSUMPSERUNT, PROPRIAM HABENT CONFESSIONEM IN DECEPTIONE ANIMARUM SUARUM, *ceciderunt à ſpe ſua, mentiti contra caput proprium, ſecundùm vanam eorum ſpem*; & nonne ex ipſorum Hæreticorum verbis, ſcriptiſve Concilium legitimè ſenſum illum collegit ?

65. Quid aliud ſibi vult quod, *Secretario quinto*, ſubjungitur ?

" Ideoque oportet detegere opprobria præſumptorum ante fa-
,, ciem illorum, ut omnibus aperiamus, quorum Hæreticorum im-
,, munditiam in ſemetipſis per ſuam novitatem portantes, SS. Pa-
,, tribus ſe concordare mentiti ſunt". At quomodo de mendacio lata eſt ſententia? Nonne ex verbis? *Deducantur*, inquit textus, *in medium Codices infidelium Hæreticorum ad conveniendam hæreſeos illorum inſaniam.*

66. Deducta ſunt in medium ſcripta, collatæ cum iis SS. Patrum ſententiæ, & ex verbis latum judicium, quo ita fulminat Concilium: *Hæc nobis juxta divinitus inſpiratam doctrinam profeßis conſonanter dicimus omnes &c.* tum Can. 18. " Si quis omnia hæc impiiſſima
,, hæreſeos illorum dogmata, aut ea, quæ pro illis, aut à quolibet
,, impiè conſcripta ſunt, & denominatos Hæreticos Theodorum,
,, Cyrum, Sergium & Paulum, non reſpuit & anathematizat, con-
,, condemnatus ſit".

Nonne pariter de ſenſu Petri Fullonis judicavit ex verbis Synodus ſub Felice III. dum dixit: *In his noxiis verbis tuis contraria ſentire vis Patribus, qui in Nicæa, Conſtantinopoli atque Chalcedone convenerunt.* Deinde enarratis erroribus: " Quam temerè, inquit ea-
,, dem Synodus, Scripturas divinas relinquas, ita & Angelorum
,, laudem pervertere præſumpſiſti: Fuge, obſecro, ejuſmodi erro-
,, rem, corruiſti, jam noli in ruina perſiſtere: peccaſti, jam noli peccare". Vide latiùs epiſt. 3. Felicis III.

67. Quid aliud egit Hieronymus ſignanter in dialogo ad Creſiphontem, Auguſtinus in Opuſculis adverſus Pelagium & Julianum, nonne aſſiduè ex Hæreticorum verbis de perverſo ipſorum ſenſu judicium tulerunt? Ex innumeris delibemus pauca. Lib. 1. Dialogi Critobulus Pelagianorum nomine dixerat, *Mihi nullus auferre poterit libri arbitrii poteſtatem, ne ſi in operibus meis Deus adjutor extiterit, non mihi debeatur merces, ſed ei, qui in me operatus eſt.* Reſpondet Hieronymus, ſub nomine Attici: "Fruere liberi ar-
,, bitrii poteſtate, ut contra Deum armes linguam tuam, verum
,, ſuper hoc QUID SENTIAS NULLI DUBIUM EST, & præſtigia
,, confeſſionis tuæ apertiſſima luce claruerunt" Auguſtinus autem *lib. operis imperfecti c.* 67. Ita Juliano reſpondet: "Conatus es
,, quidem quod ait Apoſtolus, *Quis me liberabit de corpore mortis hu-*

jus,

„ *jus*, in ſenſum veſtrum diſputando convertere". Et cap. 68. " Nuſquam apparuit dolus tuus & per ſcientiam damnata con„ ſcientia? Scis enim, ſcis omnino (tam quippe compertum eſt, „ ut qui libros illos legit, hoc neſcire non poſſit) ſcis, inquam in „ libris, quos ad Marcellinum edidi vehementer egiſſe &c." *Iterum cap.* 95. "Scimus vos dicere peccato hominis naturæ ſtatum „ non mutari, quia deſeruiſtis fidem Catholicam, quæ dicit pri„ mum hominem ſic factum, ut non haberet moriendi neceſſita„ tem, peccato autem ita hunc ſtatum naturæ fuiſſe mutatum, ut „ hominem neceſſe ſit mori". Iterum *c.* 108. ex iſto HÆRETICO SENSU, quo dicitis non fieri per gratiam liberationem à peccato &c. etiam Sanctorum orationibus contradicitis. Denique *lib.* 2. *c.* 80. relatis iterum aliquibus Juliani verbis, ſubtexit, *O intellectum, quid aliud dicam, quam hæreticum?*

An hæc Auguſtini Doctoris tanti, tam ſancti, temeraria ſunt judicia de intellectu, de hæreſi, ſenſu, de ſententia Juliani? An non potiùs conformia illi, quòd dixit Chriſtus, Matt. 12. v. 37. *Ex verbis tuis judicaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.*

68. Damnabiſne præſumptæ perperam authoritatis, & uſurpatæ poteſtatis indebitæ, tot Pontifices qui de ſenſu intento judicantes, univerſos fideles ad ita credendum obligarunt? Fuerunt ex his plerique Sanctitate vitæ & doctrina conſpicui: multi etiam pro illa, quam tradebant, fide Martyrium ſubierunt. Inter illos fuere ſequentes: Evariſtus *epiſt.* 1. *cap.* 2. Anacletus *epiſt.* 1. 2. 3. Alexander I. *epiſt.* 1. c. 1. 2. 6. Teleſp. *epiſt.* 1. c. 3. Hyginus *epiſt.* 1. *cap.* 1. Eleutherius *epiſt.* 1. *c.* 1. Calixtus I. *epiſt.* 2. Stephanus I. *ep.* 2. *cap.* 12. Sixtus II. *ep.* 1. Felix I. *ep.* 3. *cap.* 1. Gajus *ep. ad Felicem c.* 5. Marcellinus *ep.* 1. Felix II. *ep.* 2. Damaſius *can. violatores* 25. *qu.* 1. Innocentius I. *epiſt.* 1. 3. 22. 23. 26. Celeſtinus *ep.* 1. 2. 6. *ſeu ad Neſtorium*, Leo I. *ep.* 23. 43. 52. 83. 97. Felix III. *epiſt.* 3. Pelagius I. *epiſt.* 7. Felix IV. *in Capitulis ad Patres Arauſicanos tranſmiſsis.* Joannes II. *epiſt.* 1. & 3. Vigilius *in epiſt. pro confirmatione V. Synodi.* Pelagius II. *epiſt.* 7. *quæ eſt tertio ad Epiſcopos Iſtriæ.* Joannes III. *ad Epiſcopos Germaniæ.* Gregorius I. *lib.* 2. *epiſt.* 36. *lib* 8. *epiſt.* 42. *lib.* 9. *epiſt.* 39. 40. 61. *lib.* 12. *epiſt.* 31. Joannes IV. *epiſt.* 2. Martinus I. *epiſt.* 1. 3. 4. 6. & *Can. Sancta Romana*

mana Eccleſia diſt. 15. Agatho *in Synodicâ ſuggeſtione.* Gregorius II. *epiſt.* 9. 11. 12. & 13. Stephanus II. *in opuſculo reſponſorum.* Adrianus I. *epiſt.* 17. Leo IX. *epiſt.* 1. 5. & 6. Urbanus II, *epiſt.* 17. Innocentius II. *epiſt.* 2. Alexander III. *epiſt.* 32. Gregorius IX. *epiſt.* 5. & 11. Gregorius XIII. *in conſtit. contra Baium*, & plurimi alii, qui de ſenſu intento in Sanctâ Scripturâ, à SS. Patribus, ab Hæreticis, aliiſque profanis Scriptoribus judicarunt.

69. Et ut ex prædictis Epiſtolis nonnulla huc tranſcribamus, quid clarius, quam quod habent in præfatâ Gregorius XIII. & Pius V. Conſtitutione? *Quas*, inquiunt, *ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnulla aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore & proprio verborum ſenſu* AB ASSERTORIBUS INTENTO *damnamus &c.* Item Gelaſius in dicto can. S. Rom. Eccleſia, *quoniam Ruffinum, B. Hieronymus in aliquibus de libertate arbitrii notavit, illa ſentimus, quæ B. Hieronymum* SENTIRE COGNOSCIMUS. Felix III. *His obnoxiis verbis tuis contraria ſentire vis Patribus, qui in Nicæa, Conſtanſtinopoli &c. convenerunt.* Innoc. I. epiſt. 1. *Quod ſcriptum eſt in Iacobi epiſtolâ,* Si infirmus aliquis in vobis eſt &c. *non eſt dubium* DE FIDELIBUS ÆGROTANTIBUS INTELLIGI *debere.* Et epiſt. 24. *Verborum argutiis ſub imagine Catholicæ fidei diſputantes velut peſtiferum virus exhalantes totam veri dogmatis* QUÆRUNT *evertere diſciplinam.* Item epiſt. 26. *Librum à charitate veſtra tranſmiſſum evoluimus, in quo multa blaſphemia, nihil quod non penitus diſpliceret, à quovis damnandum atque calcandum.* Celeſtinus I. epiſt. ad Neſtorium, *Legimus epiſtolarum tuarum tenorem, in his verbis tuis à nobis inveſtigatus,* DEPREHENSUS ES, *quod multiloquio labebaris, dum vera involvis obſcuris, rurſus utraque confundens, vel* CONFITERIS *negata, vel* NITERIS *negare confeſſa.* Quam autem rectè judicaverit Celeſtinus, docet Cyrillus in epiſt. ad Juvenalem his verbis, *Scripſit ad Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum Celeſtinum* (Neſtorius) *miſit eidem &c. ex quibus perverſa* SENTIRE APERTE DEPREHENSUS, *jure merito ab illo hæreſeos eſt condemnatus.* Leo I. epiſt. 83. *Evangelicam doctrinam Neſtorius prius, & nunc Eutyches diverſa quidem aſſertione, ſed ſimili impietate* IMPUGNARE CONATI SUNT, *& Eccleſiæ Dei duas hæreſes ſibimet contrarias inferre* TENTARUNT, *ut uterque à veritatis diſcipulis damnaretur, quia nimis inſanum & ſacrilegum fuit, quod varia falſitate ambo* SENSERUNT. Agatho in Synodica

Digitized by Google

nodica ſuggeſtione, *conſonantia fidei nobiſcum tenent, nobiſq; concorditer* SENTIUNT. Felix IV. in Capitulis miſſis ad Patres Arauſicanos: *Pelagii errore*, ait cap. 1. *deceptus adverſatur Sacra Scriptura dicenti &c.* cap. 8. *contradicit Iſaia*, cap. 5. *Apoſtolicis dogmatibus adverſarius probatur*, cap. 7. *hæretico fallitur ſpiritu &c.* Et generatim quoties hæreſim aliquam per S. Scripturæ vel Doctoris Eccleſiæ authoritatem impugnant, quid clariùs eſt, quam quod ſimul de ſenſu per illos intento judicent: *Quia*, (inquit Cyrillus in epiſtola *Salvator noſter*) *non debemus reſpicere verborum authoritates*, SED INTENTIONES, *quæ ſunt in eis.* Vide alia Artic. 4. ſupra.

70. Unde, ut dixi, ex dicta opinione ſequitur corruere quidquid hactenus contra hæreticos, per Concilia etiam Generalia vel particularia ab Eccleſia recepta, deciſum eſt: quia in illis perpetuò de ſenſu intento à Sacra Scriptura, Sanctis Patribus, & hæretico illis contrario diſceptatum judicatumque: ut notum eſt ex Concilio Tridentino ex Actis Conciliorum Florentin. Nicæn. Chalcedon. Conſtantinopol. Arauſican. Milevitan. &c. quæ in rebus fidei nullam habent authoritatem, niſi quatenus approbata à Pontifice, & confirmata; Gelaſius epiſt. 13. Quomodo autem illa confirmabit, niſi prius de ſenſu per Epiſcopos intento judicet? Quam authoritatem dabit confirmatio, ſi fallibile ſit de ſenſu judicium?

71. Sequitur pariter, evacuari SS. PP. Auguſtini, Ambroſii, Hieronymi, Cyrilli, &c. authoritatem, quam potiſſimum habent ab Epiſtolis & Decretis Celeſtini, Joannis, Hormiſdæ, Gelaſii, &c. Remoto enim judicio, *de ſenſu per illos intento*, quid ſunt eorum opera (uti etiam tota Scriptura Sacra, & Concilia) niſi verba? Quæ improbi ad inſanas opiniones & deliria trahent. Quale eſt illud Jacobi Fabri, *Chriſti corpus ubique eſt, quia Verbum ubique eſt, & ſcriptum eſt: Verbum caro factum eſt.* Item illud Manichæorum, *Chriſtus reliquit corpus ſuum in ſole, & ſola divinitate in cælum aſcendit; quia ſcriptum eſt: In ſole poſuit tabernaculum ſuum. Scriptum eſt: Vnuſquiſque vocationem ſuam ſequatur.*

72. Sequitur tertio, quod Eccleſia, quam Chriſtus ſanguine ſuo acquiſivit & fundavit, deterior erit quavis miſerrima civitate aut Republica. In hac enim controverſiæ omnes, de hæreditate

aut aliis bonis, de obligatione &c. finem accipiunt per ſententiam Principis aut Supremi Senatus, *l. 1. l. ult. Cod. de legib. l. 9. ff. eod. l. unic. Cod. de ſent. præfect. Prætor.* At in Eccleſia Chriſti in qua de hæreditate regni cæleſtis, de obligatione erga Deum, proximum, & ſimilibus quæritur, nullus erit finis pertinentium ad fidem, aut mores controverſiarum: quia penè omnes dependent à ſenſu intento per Sacram Scripturam, Sanctos Patres, Conſtitutionem aut Legem, ſive hunc, vel illum Authorem.

73. Quartò, fruſtrà Petro, & in Petri perſona, ejus Succeſſoribus committitur cura navis Eccleſiæ, & ſub illius figura dicitur, *duc in altum*, ſi non diſcernat ſcopulos. Fruſtrà mandatur & dicitur, *Paſce oves*; ſi non diſtinguat paſcua, in quibus verum fidei & ſalubre pabulum, in quibus noxium & mortiferum contineatur. Perperam & male in Generalibus Concil. etiam in Florentino *Collat. 22. n. 4.* definitum eſt, *Pontificem exiſtere omnium Doctorem*, ſi (partibus in materia fidei aut morum, de ſenſu ab Authore aliquo intento diſſentientibus, & contraria propterea ſequentibus aut facientibus) non poſſit illam, quæ errat, docere. Perperam ei commiſſus eſt Dominicus ager, ſi nequeat noſſe loca, in quibus ſunt zizania, in quibus triticum: & ideo permittat æqualiter utraque demeti & familiæ dari. Perperam in manu Chriſti ventilabrum, niſi ut excutiantur paleæ. Miſer Eccleſiæ datus eſt à Chriſto medicus, qui non dignoſcat venena. Miſer cuſtos, qui cogitur pati, ut fidei theſaurus ſurripiatur.

Non confinxi has comparationes, ſunt Conciliorum, ſunt Sanctorum, Concil. Florentin. *dicta Collat. 22. num. 4. & Acta ibidem ante num. 7. epiſt. 91. apud Auguſt.* Martinus I. *epiſt. 11.* Celeſtinus I. *epiſt. 6. & epiſt. ad Clerum Conſtantinopolitanum.* Theod. Papa *in epiſtola Synodica, &c.*

ARTICVLVS IX.

Prædicta confirmantur argumento ad hominem ex Concilio Baſileënſi.

74. SAcro-ſanctum eſt adverſariis iſtud Concilium: videamus igitur ejus definitionem relatam ſeſſ. 22. quæ quia evertit quidquid illi ſomniant, dum quæſtionem de ſenſu ad *quæſtionem facti* revocant, ut conſtitutionem Alexandri VII. ſuper quinque propoſitionibus eludant, ideo illam integram ſubjicio: "Cum inter cætera pietatis opera ad conſervandam Fidei Catholicæ veritatem extirpandoſque errores & hæreſes, hæc S. Synodus potiſſimè convenerit, noſtræ ſolicitudinis præcipuum ſtudium eſt illico ut pullulare aliquid noverimus, quod fidei Chriſtianæ puritatem offendere, & ſplendorem luminis in mentibus fidelium quomodolibet obnubilare poſſit, penitus reſcindere, agrumque Dominicum à noxiis zizaniis & vepribus cum omni diligentia expurgare. Proinde libellum quendam editum à Magiſtro Auguſtino, vulgariter dicto de Roma, Archepiſcopo Nazareno, cujus primus tractatus *de Sacramento unitatis Ieſu Chriſti & Eccleſiæ, ſive de Chriſto integro* intitulatur, ſecundus *de Chriſto Capite & ejus inclito Principatu*, alius *de charitate Chriſti circa electos, & ejus infinito amore*, tamquam non ſanam & erroneam in fide doctrinam continentem, cum ſuis defenſoriis damnat & reprobat. Et potiſſimè ſcandaloſam illam aſſertionem erroneam in fide, in *ipſo libello contentam*, quam piæ Fidelium aures ſine horrore audire non poſſunt, videlicet: *Chriſtus quotidie peccat & ex quo fuit Chriſtus quotidie peccavit*, quamvis de capite Eccleſiæ Chriſto Jeſu Salvatore noſtro dicat ſe non intelligere, ſed ad membra ſua, quæ cum Chriſto Capite unum eſſe Chriſtus aſſeruit, intelligentiam ejus eſſe referendam dicat. Nec non & propoſitiones iſtas, & eis in ſententia ſimiles, quas in articulos damnatos in Sacro Conſtantienſi Concilio incidere

„ declarat, videlicet: *Non omnes Fideles juſtificati ſunt membra Chriſti,*
„ *ſed ſoli electi, finaliter in perpetuum regnaturi cum Chriſto. Secundum*
„ *ineffabilem præſcientiam Dei ſumuntur membra Chriſti, ex quibus conſtat*
„ *Eccleſia; quæ tamen non conſtat, niſi ex eis qui ſecundum propoſitum e-*
„ *lectionis vocati ſunt. Non ſufficit Chriſto uniri vinculo charitatis, ut ali-*
„ *qui efficiantur membra Chriſti, ſed requiritur alia unio.* Has etiam
„ quæ ſequuntur: *Humana natura in Chriſto eſt perſona Chriſti. Ratio*
„ *ſuppoſitalis determinans humanam naturam in Chriſto non realiter diſtin-*
„ *guitur ab ipſa natura determinata. Natura humana in Chriſto proculdu-*
„ *bio eſt perſona verbi & verbum in Chriſto natura aſſumpta, eſt realiter*
„ *perſona aſſumens. Natura humana aſſumpta à verbo ex unione perſonali,*
„ *eſt veraciter Deus naturalis & proprius. Chriſtus ſecundum voluntatem*
„ *creatam tantum diligit naturam humanam unitam perſonæ verbi, quan-*
„ *tum diligit naturam Divinam. Sicut duæ Perſonæ in Divinis ſunt æquali-*
„ *ter diligibiles, ita duæ naturæ in Chriſto, humana & divina, ſunt æqua-*
„ *liter diligibiles propter perſonam communem. Anima Chriſti videt Deum*
„ *tam clarè & intensè, quantum clarè & intensè Deus videt ſeipſum.*
„ Quas quidem propoſitiones, & alias ex eadem radice proce-
„ dentes in prædicto libello contentas tamquam erroneas in fide,
„ damnat & reprobat hæc ſancta Synodus. Ne igitur per hujuſ-
„ modi doctrinam in errorem quempiam Fidelium prolabi con-
„ tingat, diſtrictè præcipit ne quiſquam præfati libelli doctrinam,
„ & præſertim ſupraſcriptas propoſitiones (uti præmittitur) dam-
„ natas & reprobatas, ac etiam ejus tractatus defenſorios, docere,
„ prædicare, defendere aut approbare præſumat. Eos autem qui
„ ſecus egerint, tamquam hæreticos, & alias animadverſione
„ canonica puniendos decernit. *In nullo autem per hæc derogare in-*
„ *tendit dictis aut ſcriptis Sanctorum Doctorum in prænominatis materiis*
„ *loquentium, quinimo ea recipit & amplectitur juxta eorum veram intelli-*
„ *gentiam per eos aut alios Catholicos Doctores in Theologica Schola commu-*
„ *niter expoſitam & declaratam.* Nec per hanc ſententiam perſonæ
„ præfati auctoris præjudicare intendit hæc eadem ſancta Syno-
„ dus: quia etſi debite vocatus fuerit, cauſas tamen abſentiæ al-
„ legavit, & in aliquibus ſuis ſcriptis, & aliàs, doctrinam ſuam de-
„ terminationi Eccleſiæ ſubmiſit. Cæterum hæc ſancta Synodus
„ mandat & præcipit omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Cancel-

lariis

" lariis Univerſitatum & inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ad " quorum ſpectat officium, quatenus diligentiam ſolertem adhi- " beant, & provideant ne aliquis dictos librum & libellos defen- " ſorios habeat, aut præſumat penes ſe conſervare, aut tenere, " imo ipſos prædictis aſſignare habeat, ut de illis faciant prout " jura diſponunt: alias contra tales Canonica animadverſione " procedatur".

75. Ecce de Propoſitionibus in dicti Auguſtini libro contentis judicat, de earum ſenſu, uti alieno à ſenſu Patrum; de pravo eorumdem Patrum intellectu per eundem: & conſequenter Concilium iſtud cenſet quod etſi apud Patres verba reperirentur ſimilia illis, quibus utebatur iſte Auguſtinus, illa tamen apud ipſos haberent ſenſum alium ab eo, quem iſte ſibi formaverat. Licet enim ſenſus ex verbis colligendus ſit, uti jam ſatis oſtendi; tamen non ex una aut altera particula colligendus eſt, ſed ex toto contextu, *l. incivile ff. de legibus.* Hoc circa interpretationem Scripturæ Sacræ docet Auguſtinus *de doctrina Chriſtiana l. 3. cap.* 2. 3. 4. quo ad alterius autem generis Scripturas vel ſententias, idem docent Juriſconſulti *ad dictam legem incivile.* Hinc eſt quod aliquando propoſitiones nonnullæ damnentur ab Eccleſia, quæ iiſdem verbis reperiuntur apud Patres: ſed ratione contextus antecedentium & conſequentium, vel explicationis ab iiſdem datæ, habent alium penitus ſenſum, quam apud authorem qui illarum verbis abutitur. Quapropter ſæpius docuit Eximius Lupus *in Scholiis ſuper Synodis*, nominatim *Tomo* 5. *pag.* 322. *Quod Eccleſia poſſit & ſoleat voces Patrum circumſcribere, quando illa trahuntur ad ſenſum ſcandaloſum aut hæreticum.*

ARTICVLVS X.

De diverſitate factorum, nec non probationis eorumdem.

76. MUlta ſunt facti, quæ, an hoc vel illo modo ſe habeant, an facta ſint nec ne, parum intereſt Religionis Chriſtianos, Regni, Reipublicæ, aut Civitatis, v.g. quod prima Martii hæc ſcribam. Alia facta intereſt ſciri, ac etiam ſæpe puniri, ut cæteri terreantur exemplo, & timore pœnæ à ſimilibus abſtineant: eoque pertineant tituli Juris *de accuſationibus, inquiſitionibus, purgatione Canonica, de pœnis, &c.* multa quoque antiquiorum facta, & conſequentes inde pœnas, aut præmia, nobis revelavit Deus; ut ſint in exemplum, & veluti regulam, ſecundùm quam diſcamus quæ agere, quæ cavere debeamus; *Quæcumque*, inquit Paulus ad Romanos, *ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.*

77. Intereſt quoque boni Paſtoris ſcire in quibus paſcuis mixtæ ſint venenatæ herbæ; ne incautæ pecudes, quæ venenatum à ſano diſtinguere non valent, inficiantur; ſi ad iſta permittatur illis ingreſſus. Ideoque ad officium Summi Pontificis, uti univerſalis Eccleſiæ Paſtoris pertinet libros (qui ſunt noſtri intellectus & mentis paſcua) veneno doctrinæ perverſæ, aſperſos diſtinguere ab iis, in quibus nihil veneni deprehenditur, atque ita ſemper fecit Eccleſia, ſecuta B. Paulum qui libros eorum, qui curioſa erant ſectati, quorum pretium aſcendebat ad 50000. denarios, curavit comburi. Dum igitur de Supremorum Conciliorum in controverſiis decidendis, & conſequenter de S. Sedis authoritate agitur, non præcisè attendi debet illa diſtinctio, an verſetur quæſtio juris aut facti. Sed an tale ſit, quod ad fidei & Religionis Chriſtianæ puritatem conſervandam pertineat, aut quod illam offendere, vel ſplendorem luminis in mentibus fidelium quo-

quomodolibet obnubilare poſſit, ac propterea Eccleſiæ interſit cognoſci, ut fideles illud amplectantur, aut fugiant.

78. Quod attinet ad probationes factorum, non eſt unica earum ſpecies: aliæ ſunt litterales, ad quas pertinent tituli juris *de fide inſtrumentorum:* quæ ubi indubium non revocantur, ſed de eorum authoritate & ſenſu diſputatur, tota controverſia reducitur *ad quaſtionem juris.* Aliæ fiunt verbali confeſſione eorum, cum quibus res agitur, quo pertinent tituli juris *de confeſſis.* Aliæ per depoſitiones teſtium, qui etſi non raro fallantur aut fallant, tamen ut litium terminandarum foret aliquando finis, ſcriptum eſt: *In ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum*; niſi ſcilicet legitima aliqua contra eos objiciatur exceptio: ſed illa ſæpè non objicitur, quia vel ignoratur, vel qui ſcit, nequit probare legitimè.

79. Ex hujuſmodi hominum teſtimoniis decipi poteſt prudentiſſimus quiſque, Pontifex & Concilia Generalia. Sed aliquando hominum teſtimoniis accedunt ſuperna indicia & miracula, tam evidentia, quale erat illud quod patravit Petrus *Actuum* 3. de quo Judæi *Actuum* 4. dicunt: *Quid faciemus hominibus iſtis? Quoniam quidem notum ſignum factum eſt per eos omnibus habitantibus Jeruſalem, manifeſtum eſt, & non poſſumus negare* Hujuſmodi ſigna ſolet exigere Sancta Sedes dum procedit ad Canonizationes Sanctorum. Ex iſta probationum diverſitate naſcitur diverſitas certitudinis ſententiarum, quas confundunt adverſarii, dum non poſſunt aliter calumniari.

ARTICULUS XI.

De ſeparando facto à facti quæſtione. De vitioſis argumentis à facto ad jus & à quæſtione juris ad quæſtionem facti.

80. HUnc articulum ideo propono, ut appareat quàm inſignes Philoſophos ſe exhibeant ſanctæ Sedis adverſarii; quam fallacibus illudant argumentis, quorum aliqua, eaque cachinno digna referam in hac

parte:

parte : ex quorum ſolutione cognoſcet quilibet, quam cæci ſint & Duces cæcorum. Dico ergo licet jus ſit facto connexum, non tamen juris quæſtio connexam habet neceſſario quæſtionem facti, nec è contra. V. g. ſcripſit quiſpiam *iſte ſanctus Pater eſt primus poſt Scriptores Canonicos* & irrefragabilis. Poſtea allegatis nonnullis ex ipſo ſententiis Chriſti mortem tangentibus ; & ſua illis addita interpretatione ſubjunxit : *Quæ ſane cum in iſtius Patris doctrina perſpicua certaq; ſunt nullo modo principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus, vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium æterna ſalute mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptionem dediſſe, Patrem oraſſe cenſeatur: Scivit enim quo quiſque jam ab æterno prædeſtinatus erat, ſcivit hoc decretum neque ullius pretii oblatione mutandum eſſe, nec ſeipſum mutare velle. Ex quo factum eſt, ut juxta ſanctiſſimum Doctorem, non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quam pro diaboli deprecatus fuit. Sed ſi quid pro illis rogavit Patrem, pro temporalibus quibuſdam juſtitiæ effectibus rogavit, & pro eiſdem obtinendis obtulit pretium, fuditque ſanguinem ſuum.*

81. Aſſeruit præterea dictus Author ſententiam, quæ dicit quod Chriſtus ſit *Redemptor omnium, pro omnibus crucifixus & mortuus jam olim ad nauſeam uſque à Pelagianis, præſertim Maſſilienſibus inculcatam fuiſſe.* Et poſt hæc verba, allegatis iterum nonnullis Auguſtini verbis, quæ juxta ſenſum ſuum & præconceptam opinionem interpretatur, ſic intulit ; *ex quibus clarum eſt non aliter Auguſtini judicio Chriſtum ſe redemptionem pro omnibus dediſſe, ſeu propitiationem eſſe pro peccatis totius mundi, niſi quia pro peccatis omnium fidelium, ex quibus una Catholica conſtituitur Eccleſia, redemptio atque propitiatio eſt, nec in univerſis Auguſtini operibus ; niſi fallor locus eſt, ubi doceat Chriſtum pro peccatis infidelium in infidelitate permanentium eſſe propitiationem, vel pro illis ſe dediſſe redemptionem.*

Ex quibus extracta eſt hæc propoſitio, *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum fuiſſe, & ſanguinem fudiſſe* : Super qua & aliis quatuor ita ad Innocentium X. ſcripſerunt Galliæ Prælati : *Majores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre ſolemnis Eccleſiæ mos eſt ; quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri, jure ſuo poſtulat. Æquiſſimæ huic legi obſequentes, de graviſſimo circa religionem negotio Sanctitati tuæ ſcribendum eſſe cenſuimus,* & paulo poſt, obte-

obteſtamur ergo ut has præſertim propoſitiones, de quibus diſceptatio periculoſior, ac contentio ardentior eſt, Sanctitas tua expendat, ac perſpicuam & certam de unoquaque ſententiam ferat. Sequuta eſt hæc Cenſura: quintam, *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe*; falſam temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, *ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit.* Impiam blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem & hæreticam declaramus & uti talem damnamus.

82. Prædicti Authoris Patroni dixerunt hanc quintam (idem de aliis quatuor) habere plures ſenſus apud Authorem, ex quo excepta erat, habere ſenſum legitimum, in eo non eſſe damnatam. Sequuta Bulla Alexandri VII. qui Congregationibus in quibus de iſtius Authoris doctrina & propoſitionibus agitatum eſt, interfuerat: qui declaravit propoſitiones iſtas damnatas eſſe in ſenſu ab authore intento.

83. Supervenerunt Anonymi D. Damvillers, Paulus Irenæus aliique: quæſtionem de ſenſu intento revocantes ad quæſtionem facti. Inter quos dictus Irenæus pag. 299. ita ſcripſit: *Planum eſt Innocentium cum quinque propoſitiones proſcripſit, quinque errores damnaſſe qui ab ineunte Eccleſiæ perpetuo errores fuerunt, quia perpetuæ cuidam veritati à Chriſto revelatæ opponuntur; aliter enim errores non eſſent. Non enim demum, poſt librum N. ſcriptum, erroneum eſſe cœpit dicere vel impoſſibilia eſſe mandata vel interiori gratiæ nunquam reſiſti; & ita de cæteris. Quamobrem ipſe Innocentius nominatim in prima propoſitionis cenſura notat, eam jam damnatam fuiſſe. Erat autem erronea ante N. totuſque ejus ſenſus, ſecluſo N. nomine, intelligebatur, exprimebatur, damnabatur, idque per ſexdecim Eccleſiæ ſæcula.* Utrum autem iſti errores in N. libro exſtent, & ab eo doceantur, diverſa prorſus quæſtio eſt, *& natura ipſa ſeparata atque ſejuncta.*

84. Sed errant & fallunt manifeſtè; etenim an verba ex illo Authore jam deſcripta contineantur in ejus libro, nulla penitus quæſtio eſt: omnia quippe exemplaria habent eundem prorſus contextum verborum; ita ut cæcum eſſe oporteat, & temerarium qui negaret. Quæſtio vero an propoſitio Pontifici oblata & brevius concepta non contineatur ſub illis longioribus periodis.

dis, quas Author ille expreſſit, ſolâ intelligentiâ ſenſûs verborum ſolvitur: ergo eſt quæſtio juris: ſicuti quæſtio juris eſt, an illa longior periodus, aut periodi, ſenſum habeat Catholicum aut hæreticum. Cum vero deciditur propoſitionem excerptam damnatam eſſe in ſenſu ab Authore intento, definitur hoc ipſum, *Contextus verborum* (*quibus ſcribentis intentio eruitur*) *habet ſenſum à veritate alienum*: At vero ſicut ante probavi, quæſtio de ſenſu alicujus ſententiæ non facti ſed juris eſt: exceptis pauciſſimis caſibus, ſupra relatis; quorum ullum in præſenti caſu locum habere nullibi hactenus dixerunt adverſarii, nec probabunt.

85. Advertendum inſuper cenſeo, quod ut dicatur aliqua propoſitio tradita in ſcriptura aut patribus, non eſt neceſſe quod iiſ penitus verbis, & verborum ordine contineatur, ſed ſufficit quod implicite & quoad ſenſum comprehenſa ſit in expreſſis. V.g. definitum eſt quod peccatorum confeſſio à Chriſto Domino ſit inſtituta *Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *de pœnit. c.* 5. quod ſatisfactio, quæ eſt pars pœnitentiæ, ſit in Sacra Scriptura comperta. *Leo X. in Bulla adverſus Lutherum*, quod omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdiderint *Concil. Trid. ſeſſ.* 6. *de juſtificat. cap.* 1. quod fides humanæ ſalutis ſit initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis *Trident. ibidem cap.* 8. quod Deus ſit trinus & unus, *Alexand. Papa Ep.* 1. quod ſpiritus Sanctus ex parte filioque procedat *Concil. florent. in decreto*, & innumera alia, quæ à Pontificibus, Conciliis, Patribus dicuntur contineri in Sacrâ Scripturâ; & qui contradicunt, reſiſtere Iſaiæ, Paulo, Evangelio &c. tamen diſertis verbis non ſunt in eadem expreſſa. Plura Lector reperiet in ſingulis pene capitibus Concilii Trident. *ſeſſ.* 6. *de Iuſtificatione, ſeſſ.* 13. *de Sacrâ Eucharíſtia, ſeſſ.* 14. *de Sacram. Pœnitent. ſeſſ.* 21. *c.* 1. *Communione, ſeſſ.* 22. *de Sacrificio Miſſæ c.* 1. *ſeſſ.* 23. *de Sacramento Ordinis c.* 1. *ſeſſ.* 24. *de doctrinâ Matrim. in Concil. Nic. I. in citatis Pontificum epiſtolis Concil. Nicen. I. Epheſino, Florent. Arauſic. II*, dum ergo quæritur, *an aliqua propoſitio in certo libro contineatur*, non ſunt adhibendi oculi ſolius corporis, ſed & mentis, qui ſenſum inquirant.

86. Sicuti vero ex quæſtione juris quod ex facto oritur, non ſequitur quod ſuper facto ſit quæſtio: ita viciſſim factum poteſt

eſſe controverſum, & jus liquidum; ac quæſtiones pleræque, agitatæ in judiciis ſunt ſuper dubietate facti, quo probato ſæpè Judices non hæſitant quid ſit juris, & qualiter pronuntiare debeant, quia hoc ipſum in legibus deciſum ſciunt.

87. Sed ulterius progrediuntur noſtri Anonymi. A facto ad legem argumentantur, v. g. ex eo quod Pontifex aliquis hoc vel illud fecerit, concludunt quod decreverit eſſe faciendum; ac propterea errores in fide aut Religione docuiſſe pronuntiant. Quaſi vero omnia vitia Principum eſſent leges, ſecundùm quas vivere ſubditi debeant. Similiter argumentantur à Jure ad factum, & ajunt: *Si Papa eſſet infallibilis, etiam foret impeccabilis:* ita olim ſchiſmatici Græci; ita hoc tempore Advocatus Anonymus Pariſienſis (de quo in tertio Opuſculo) petulanter ſcribens: *Grand privilege d'eſtre Pape, puis qu'il eſt infallible, il s'en ſuit qu'il eſt impeccable.* Conſequentiarum vitia videbimus infra: ubi præmiſero alia quædam.

ARTICVLVS XII.

De diverſitate Decretorum.

88. DIxi aliquid in tertio Opuſculo, ſed plenius diverſitas illa explicanda, ut poſtea magis eluceſcat adverſariorum ignorantia & temeritas.

Interdum Pontifices, etiam Generalia Concilia, antequam ſit plenè è latebris eruta veritas, procedunt ex probabili Doctorum opinione. Sic proceſſit Generale Concilium Vienneſe, cujus Decretum habetur *in Clementinis*, ſub titulo *de ſumma Trinitate*, ubi dicitur: *Nos ſecundam opinionem tamquam probabiliorem & dictis ſanctorum Patrum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, ſacro approbante Concilio duximus eligendam.*

89. Interdum etiam ſuper certis propoſitionibus aut materiis ſilentium tantum certo modo indicunt Pontifices, ut Paulus V. Pius V. Gregorius XV. circa materiam Immaculatæ Conceptionis. Aliquando etiam loquuntur tantummodo opinativè, ut Vigilius

lius in Conſtit. ubi de tribus Capitulis, hoc eſt ſcriptis Theodori, Ibæ, &c. ſæpius reſpondet per verbum, *videtur*: alia etiam anathematizare prætermiſit, alioquin impia. Propter quod Epiſcopi Iſtriæ damnationi trium Capitulorum reſiſtentes, dicebant: *Quod Sedes Apoſtolica per Vigilium Papam & Latinarum Provinciarum Principes illi reſtitiſſent.* Quibus reſpondet Pelagius II. epiſt. 7. *Res quæ provocare vos ad conſenſum debuit, à conſenſu vos ipſa divellit. Latini quippe homines, & Græcitatis ignari, dum linguam neſciunt, errorem tarde cognoverunt.* Conſonat Vigilius *in epiſt. pro confirmatione* 5. *Synodi*, dicens: " Quoniam nulli dubium eſt, quot & quanta mota ſint ob ,, tria Capitula, hoc eſt de Theodoro Mopſueſtiæ Epiſcopo, ,, ejuſque ſcriptis, quin etiam de ſcriptis Theodoreti, & de epi- ,, ſtola quæ dicitur ſcripta ab Iba ad Marim Perſam, & quam di- ,, verſa de tribus illis Capitulis dicta atque conſcripta ſunt: pudori ,, eſſe non debet, cum ea, quæ ab initio omiſſa, ſtudio deinde ve- ,, ritatis inveniuntur, in publicum eduntur". *Et parum infrà*: ,, Nunquam deſtitimus, quin inveſtigaremus, quid de tribus illis ,, Capitulis in Patrum noſtrorum litteris inveniretur.

90. Videndum etiam, an ſuper perſonis judicium feratur, an ſuper doctrina: & quod de uno dicitur minimè trahendum ad alterum. Hinc Pelagius II. in ep.7. quæ eſt 3. ad Epiſcopos Iſtriæ: *Nihil aliud*, inquit, *niſi de perſonis agitur, nihil de cauſa fidei; ſed ſola privata negotia verſantur, in privatis negotiis authoritas vacuatur.* Et Gregorius I. lib. 2. epiſt. 36. ac rurſus lib. 3. epiſt. 37. *De illa Synodo, quæ poſtmodum Conſtantinopoli facta eſt, quæ à multis quinta nominatur, ſcire vos volo, quia in ea de perſonis tantummodo, non de fide aliquid geſtum eſt.*

91. Tertiò minimè confundenda eſt qualitas duplex, quæ in publicis perſonis reperitur, ſive illæ ſint Summi Pontifices, ſive Judices quicumque. Nec confundendi modi ſecundùm quos procedunt, decernunt, vel dicunt. Non enim eo ipſo quo quis eſt Judex, quidquid ipſe, etiam fortè luſum inter & pocula decernit, dicit, vel ſcribit, aut componit, pro judiciali ſententia, quæ partes obliget, habendum eſt, nec omne dictum Regis pro lege eſt: ſed id demum, quod pro lege haberi voluit, & pro tali publicari.

92. Ita in Summo Pontifice diſtinguendum. Unde Barboſa in

in Collectaneis ad Can. 6. diſt. 40. n. 37. ait: *Non videtur inconveniens fateri poſſe errare, ut privatam perſonam, quando ſcilicet doctrinam aliquam tradit; quam, non ut univerſale decretum apud omnes cenſet, obligando omnes fideles ad recipiendum, aut credendum;* ſed tanquam particularis Doctor docet, aut ſcribit; ut fecerunt Innocentius III. & IV. Adrianus VI. atque alii. Etſi enim in eorum ſcriptis aliquis error reperiretur, non ideò Papam qua Papam, aut Sedem Apoſtolicam, erraſſe dicendum eſt, ut bene explicat Caſtro *lib.* 1. *de juſta hæret. punit. cap.* 6. Ubi refert elegans Innocentii IV. reſponſum, qui rogatus an vellet, quæ in jure Pontificio ſcripſit, pro lege teneri, reſpondit id ſe minimè velle, quia ea non, ut Pontifex, ſed ut Doctor privatus ſcripſerat. Hactenus Barboſa.

93. Quartò, videndum eſt, an judicium aut decretum non ſit metu extortum: aliqua enim ſunt, quæ propter maximam deliberationem, quam requirunt, nulla ſunt, ſi metu extorqueantur. De his ita ſcribit Gloſſa *ſuper cap.* 2. ✠ *de his quæ vi metus &c. Tenent ergo quæ per metum fiunt, & ſubvenitur metum paſſis, niſi culpa ſua incidant in metum. Ab iſta doctrina ſive generalitate, excipiuntur caſus in quibus fallit, etiamſi culpa incidiſſet in metum. Et primo in cauſa matrimonii qualiſcumque metus interveniat ſua culpa, vel ſine culpa, matrimonium contractum per metum non tenet, nec obligatur qui hoc facit, etiamſi jurat, quia matrimonia libera debent eſſe: quia invitæ nuptiæ difficiles exitus conſueverunt habere, Infra de ſponſ. requiſivit. Et cap. gemma &c. de ſponſ. l. ult. in fin. & ubi metus vel coactio intercedit, conſenſus liber dici non poteſt. Item dos promiſſa per metum, vel ſoluta non tenet, quia eſt acceſſoria ad matrimonium.* Et paulò poſt: *Item & in voto, quia votum per metum factum non tenet, item non tenet juriſdictio per metum extorta.* Alia exempla eorum, quæ ipſo jure per metum irritantur addit ibid. Gloſſa, quam ſequuntur communiter Canoniſtæ, item Theologi, quos refert, & ſequitur Baſilius Pontius *de matrimonio*, & alii in materia de voto.

94. Certè ſi matrimonium votum, juriſdictionis prorogatio, & ſimilia quæ maximam deliberationem requirunt, ſint propter ejus defectum nulla; à pari ratione, aut majori lex, ſententia, aut decretum metu gravi extortum pro nullo, & pro non facto habendum. Inepti ergo ſunt, qui facta quædam Pontificum graviſ-

 ſimo

ſimo metu extorta, pro lege nobis obtrudunt, ut inde erroris arguant Pontifices, in iis, quæ conſilio & deliberatione decernunt.

ARTICULUS XIII.

Corolarium ex prædictis ad ea quæ feruntur hoc menſe agitari in Gallia.

95. TOrnacenſes & Duacenſes litteræ ferunt premi Duaci executionem decreti Regii, adigique Profeſſores ad docendam doctrinam *Declarationis* factæ à quibuſdam Epiſcopis anno præcedenti hoc menſe, idque ſub pœna privationis lectionum & officiorum ac clauſuræ Scholarum. Pariſienſes vero litteræ ferunt convocatos eſſe omnes Galliæ Doctores adverſus decretum Primatis & Prælatorum Hungariæ ſuper dicta *Declaratione* : Syndicum & alios nonnullos præcipitanter urgere Doctorum Congregationes, ut citiſſimè ejus condemnatio ſequeretur : vix conceſſam eſſe dilationem uſque ad diem 17, ut nonnihil cauſa diſcuteretur à ſingulis : aliquos ſtatim ad inſtantiam Syndici, nec propoſitis pro opinione ſua rationibus, nec ad ea quæ objecta ſunt, ſolutione datâ, pro condemnatione opinatos : alios pro nihilo habuiſſe dictum decretum ac propterea ſine longa mora condemnandum, quia proceſſiſſet ab Epiſcopis longe paucioribus, quam Cleri Gallicani *declaratio.*

96. Quidquid ſit de veritate dictarum litterarum, parum refert, ſi tota Gallia hodie conformiter ad dictam *declarationem* doceret ; quando ad id edicto ac etiam pœnarum comminatione adiguntur. Parvi momenti erunt præcipitatæ multorum opiniones, & decreta cenſura ex ſuffragiis eorum, qui vel metu vel adulatione procedent : parum facit ad augmentum numeri quod multi adſint, ſi non fuerint concordia ſuffragia & ex maturo examine ac diſcuſſione omnium pro & contra, profecta. Epiſcopi 34. ſubſcripſerunt declarationi Gallicanæ, non tamen omnes ex ſuo ſuffragio.

Decla-

Declararunt enim aliqui, & inter illos Illuſtriſſimus Cameracenſis (ſic mihi Bruxellis exiſtenti retulit menſe Februario D. d'Or, ipſi à Secretis) ſe fuiſſe alterius opinionis; ſubſcripſiſſe tamen, quia pars adverſa numero ſuperabat.

97. Libenter intelligemus (ſi Cenſura aliqua prodeat contra decretum jam dictum) quantus fuerit numerus Doctorum & aliorum congregatorum. Quot ex illo pro doctrina *declarationis* opinati fuerint; quot pro contraria: quibus moti fuerint argumentis, quænam ad aliorum objecta datæ ſolutiones: an non metu aliquo paſſione aut impreſſione ducti fuerint; ut liceat mihi vel aliis diſcutere ſingula. Interim concludendo ex dictis articulo præcedenti, infero ſi metus incuſſus fuerit, ſi non diſcuſſa argumenta pro & contra in tanti momenti materia, parum momenti habituram cenſuram qualiſcumque fuerit.

98. Forſan ex numero opinantium authoritatem aliquam illi volet conciliare quiſquam. Placet audire quam parum faciat multorum etiam Epiſcoporum ſine ſuo Capite Romano Pontifice, ſed potius illi adverſantium, numerus: ecce quot & quales. Errarunt Donatiſtæ in tantum, ut cenſuerint voluntaria potius ipſorum nece avertendam eſſe executionem legis ab Honorio latæ, quam illi deferendum, Auguſtinus *lib.* 1. *cont. Gaudent. c.* 29. 37. 38. Errarunt Novatiani ſentientes Paſchatis controverſiam non ſatis eſſe juſtam, ut ab Eccleſia dirimeretur; ſed licere cuilibet abſque diſpendio Catholicæ Veritatis celebrare qua die vellet, Baron. *ad annum* 391. *n.* 17. 18. 19. Errarunt Ariminenſes de quibus Ambroſius *Ep.* 33: *ſcriptum in Ariminenſi Synodo, meritoque Concilium illud exhorreo.* Conſtantinopolitani & Græci, ingenti ſæpe numero congregati ſub Sergio I. Stephano II. Leone III. Nicolao I. Joanne VIII. Pontificibus ſummis &c. Epiſcopi 128, qui Eutychetem abſolverunt, ejuſque hæreſim confirmarunt. Moguntinus Archiepiſcopus & cum eo plurimi, in cauſa Henricianæ ſeu Weclliana hæreſis, ſpiritualia Imperatori ſubjicientis. Africani, Greg. 1. *lib:* 3. *Ep.* 7. Orientales Epiſcopi plurimi in Conciliabulo Sardicenſi, Conſubſtantialitatem filii damnantes, Socrates *lib.* 2. *c.* 16. Sozome *lib.* 3. *c.* 10. Epiſcopi 80. in Synodo Sidonia Palæſtinæ, in materia Incarnationis Chriſti. Nonaginta

&

& amplius hæreſes à partibus orientis exortas commemorat Sanctus Leo IX. *Ep. ad Michaelem Conſtantinopolitanum.*

99. Cæterum ſi numero certandum ſit, ego numero illorum qui hoc menſe Pariſiis congregantur, oppono numerum aliorum, quos in antecedentibus Opuſculis, etiam è Gallia, adduxi; ex quibus cum ſatis conſtet *Declarationis* doctrinam eſſe planè novam, communiter antea ab omnibus improbatam (ſi ſchiſmaticos exceperis, aut qui ſchiſmatis tempore ſcripſerunt) illa ad Sanctam Sedem erat referenda, prout oſtendi, ex Gallis Scriptoribus. Nec hi ſoli: ſed ita ſenſerunt cæteræ Orbis partes.

100. Ita, inquam, ſenſerunt Africani Epiſcopi ducenti ſeptemdecim, anno 534. ſic ad Joannem II. ſcribentes: Ex omnium „ quidem Collegarum tacitis motibus nemini placere ſenſimus, „ ut ſuis honoribus Ariani ſuſpiciantur. Verum tamen convenire „ charitati credidimus, ut quid habeat ſenſus noſter in publicam „ notitiam nemo perduceret, niſi prius, VEL CONSUETUDO NOBIS VEL DEFINITIO ROMANÆ ECCLESIÆ PRODERETUR. „ *Tum paulò infrà concludunt:* RESPONDEAT OBSCERO MENS „ ILLA SANCTO SPIRITUI SERVIENS AFFABILITER ET „ VERACITER. Refertur hæc epiſtola in Tomis Conciliorum „ poſt vitam Joannis Papæ II. Cui, præmortuo Joanne, reſpondit Agapitus *epiſt.* 2. ſuamque reſponſionem per Reparatum „ Epiſcopum Carthaginenſ. publicari jubet, *epiſt.* 3.

Ita etiam Angli, inter quos Hubertus Cantuarienſis Epiſcopus Celeſtini III. judicium exquiſivit ſuper voto peregrinationis multorum Anglorum ad Terram Sanctam, & quibus caſibus excuſarentur necne, Celeſtinus *epiſt.* 14. data anno 1196.

Item Ederedus Anglorum Archiepiſcopus de dubiis pluribus conſuluit antea Joannem VIII. factum Pontificem anno 872. & S. Auguſtinus Anglorum Epiſcopus Gregorii I. definitioni ſubmittit ſequentes, plurimaſque alias illius temporis controverſias: an Neophiti, qui ante fidem ſuſceptam erant in gradu prohibito conjuncti, ſint illâ ſuſceptâ ſeparandi, quot neceſſarii ſint communi jure Epiſcopi in alterius conſecratione, an & quando, non obſtante copulâ conjugali, liceat eodem die ad ſacram Communionem accedere. S. Gregorius I. *epiſt.* 11.

101. Idem

101. Idem cenſuere Bœticæ Epiſcopi circa annum 237. qui Sedis Apoſtolicæ definitionem requiſiverunt ſuper illo Articulo, an eſſet licita Epiſcoporum de una ſede ad aliam tranſmutatio, Antherus *in epiſt. ad Epiſcopos Bœtica.* Item an Chriſtus ſalva utriuſque naturæ proprietate verus eſſet Deus & verus homo, Eutychianus *epiſt.* 1. Britanniæ Epiſcopi, an divinationes ſint licitæ, Leo IV. *epiſt.* 1. 2. Bulgari ad Nicolaum I. ultra centum Articulos retulere, Nicolaus I. *ad conſulta Bulgarorum.* Burgundi & Epiſcopi Gallo-Belgæ Abailardi ſcripta tranſmiſerunt ad Innocentium uti ad judicem ultimum. Qua de re S. Bernardus *epiſt.* 190. " Operæ mihi pretium arbitror, ſi illum monui, cujus arma po-,, tentia Dei, ad deſtructionem contrariarum aſſertionum, ad de-,, ſtruendam omnem altitudinem, extollentem ſe adverſus ſcien-,, tiam Dei, & in captivitatem redigendum omnem intellectum in ,, obſequium Chriſti". Archiepiſcopi autem & Epiſcopi Remenſis, Sueſſionenſis, Carhaluanenſis, Atrebatenſis ita ſcripſere: *Proceſſimus in hoc negotio, quo uſque auſi ſumus: tuum eſt de cætero, Beatiſſime Pater, providere, ne in diebus tuis aliqua hæretica pravitatis maculâ decor Eccleſiæ maculetur* 191. *apud Divum Bernardum.* Quibus reſpondit Innocentius, *Deſtinata nobis à veſtra diſcretione capitula damnavimus,* epiſt. 194. apud D. Bernardum.

102. Idem fuit Germanorum judicium. Nam S. Bonifacius Germanorum Apoſtolus, ad Sedis Apoſtolicæ Petram recurrit ſuper quæſtionibus pluribus, v. g. An quavis lingua, etiam gentili, Baptiſmus valeat conferri, quæ ſit ejus forma neceſſaria, quis ejus Miniſter: An teneat, ſi vel una SS. Trinitatis perſona ſit omiſſa, an ſit alius mundus conſtans alia terra, alio ſole & luna, &c. Vide Gregorium III. *epiſt.* 7. Zachariam Papam *epiſt.* 1. 9. 10. 12.

103. Græci in Concilio Conſtantinopolitano III. Agathoni ita ſcribunt: *Tibi ut primæ Sedis Antiſtiti univerſalis Eccleſiæ ſtanti ſuper firmam fidei Petram, quid agendum ſit, relinquimus libenter &c.* Et iterum in Concilo Conſtantinopolitano IV. ſub Hadriano II. ſubſcripſerunt libello fidei, quo inter cætera hæc continentur: " In ,, Sede Apoſtolica immaculata eſt ſemper Catholica reſervata Re-,, ligio, & ſancta celebrata doctrina: ab hujus ergo fide ſeparari ,, minime cupientes, & Patrum, ET PRÆCIPUE SANCTORUM

,, SEDIS APOSTOLICÆ PRÆSULUM, SEQUENTES IN OMNIBUS
,, CONSTITUTA, anathematizamus omnes hæreſes &c". *Et infrà:* " Sequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem & obſervantes
,, OMNIA EIUS CONSTITUTA, ſperamus ut in una communione,
,, quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe mereamur, IN QUA EST INTEGRA ET VERA CHRISTIANÆ RELIGIONIS SOLIDITAS.

Idem cenſuere Patres Concilii Carthaginenſis, & Milevitani, ſpecialiterque Aurelius Auguſtinus, Alippius, Poſſidius in controverſiis contra Pelagianos: addentes, quod ſi ea, quæ decreverant, à Pontifice probarentur, *Pelagianos non auſuros amplius loqui adverſus Gratiam Dei.* Vide Auguſtin. *ep.* 90. 91. 92. 93. 94. 95. Cenſuerunt ergo Pontificis judicium eſſe ultimum.

104. Dies me deficeret, ſi referrem quomodo Hiſpani, Gregorius I. *lib.* 1. *epiſt.* 41. Itali, Anacletus *epiſt.* 2. Numidiæ Primates, Damaſus *epiſt.* 5. alii Epiſcopi innumeri, nunc conjunctim, ut Orientales omnes, Fabianus Papa *in epiſt. ad omnes Epiſcopos Orientis*, Scoti, Joannes IV. *epiſt.* 1. nunc ſeparatim, ut Ruſticus item in Oriente, Cornelius Papa *in epiſt.* 1. Joannes Ravennatenſis, Gregorius I. *lib.* 2. *epiſt.* 32. Leander Hiſpalenſis in materia Baptiſmi, Gregorius I. *lib.* 1. *epiſt.* 4. Himerius Tarraconenſis ſuper Baptiſmo ab Arianis collato, Syricius *epiſt.* 1. Benignus in materia viſionis Divinæ, Felix Papa I. *epiſt.* 3. Felix Epiſcopus ſuper unione naturæ humanæ cum divina in unitate perſonæ, Gaius Papa *in epiſt. ad Felicem.* Decentius Epiſcopus ſuper miniſtro Confirmationis & ſenſu illorum verborum Jacobi 5. *Si infirmatur aliquis in vobis eſt &c.* Innocentius I. *epiſt.* 1. *&c.* ad Pontifices pro tempore exiſtentes, velut ad ultimum Judicem recurrerunt.

105. Et quod notandum eſt, non ignoraverunt illi Sedem Apoſtolicam ſuſtinuiſſe ſemper definitiones ſuas, circa fidei ſalutariumque actionum controverſias, non poſſe retractari: & iis quæ ſemel ſic decreviſſet aut obſequendum eſſe, aut poſt anathematiſmorum fulmina etiam Sede Epiſcopali cedendum. Id ipſum quoque fatebantur Græci, de quibus Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus ita ad Gregorium IX. ſcribit: " Non ignoramus,
,, Sanctiſſime Domine, quod quemadmodum nos Græci nitimur
,, in omnibus obſervare orthodoxam & Euſebiam ſententiam, ut

in

„ in nullo erremus à Sanctorum Apoſtolorum & Patrum ſtatutis.
„ Eodem modo veteris Romæ Eccleſia (benè ſcimus) pro ſe niti-
„ tur, ut non exiſtimet ſe falli in aliquo, neque remedio indigere
„ ſe aſſerit vel correctione; hoc & apud Græcorum Eccleſiam &
„ Latinorum dici novimus".

Deinde Pontificum tot definitiones, quibus prædictam infallibilitatem aſſerebant nimis erant publicæ; quam ut illud ignoraretur.

Supra memorati ergo, qui judicium requiſiverunt Apoſtolicæ Sedis, quale reddere ſolebat, apertiſſimè ipſo ſuo facto confeſſi ſunt dictam Romanæ Sedis ſoliditatem; ad cujus determinationem, velut causâ jam finitâ, deberet omnis humana ratio conquieſcere. Optima autem probandi juris ratio eſt confeſſio tacita conſequens ex proprio facto, *l. 6. §. 1. ff. de pignor.* Menochius 6. *præſ.* 99. *ubi latè.*

ARTICVLVS XIV.

Expenduntur præclara argumentorum ſpecies, & nova Logicæ principia; quibus adverſarii Sanctæ Sedis authoritatem impetunt.

106. INgredere in arenam Paule Irenæe cum Sodalibus tuis, & fictitias hæreſes nobis finge, ut tu propugnes veras; quære ementitos typographos; decreta Lateranen. & Trid. Concilii *de editione librorum* Theologicas materias tractantium conculca: prodeat liber tuus abſque ulla Cenſoris approbatione: ego librorum Cenſor ſubminiſtrabo tibi, non meam ſolum, ſed quatuor inſuper Epiſcoporum Galliæ & Doctorum novem authoritate Regia deputatorum lege illam.

107. *Nos infrà ſcripti Regis decreto ſelecti ad ferendum judicium de libro, cui titulus eſt*, Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales, &c. *præmiſſo ejus libri diligenti examine, teſtamur Ianſenianas hæreſes ab Eccleſiâ damnatas in eo propugnari atque defendi, tum indictis Litteris Ludovici*

Montaltii, tum in Novis Willelmi Vuendrockij, tum in adjunctis Diſquiſitionibus Pauli Irenai: atque id eſſe ita manifeſtum, ut ſi quis neget, neceſſe ſit; vel non legiſſe librum hunc, vel non intellexiſſe, vel certe quod pejus eſt, non putare id hareticum eſſe quod à Summis Pontificibus, & ab Eccleſiâ Gallicanâ, & à Sacrâ Facultate Theologia Pariſienſi, damnatur ut hareticum. Teſtamur inſuper maledicentiam & petulantiam tribus illis Authoribus adeò eſſe familiarem, ut nulli hominum conditioni parcant, exceptis Ianſeniſtis, non ſummo Pontifici, non Epiſcopis, non Regi, non pracipuis Regni adminiſtris, non Sacra Facultati Pariſienſi, non Religioſis familiis; ideòque librum eſſe dignum pœnâ libellis famoſis & hareticis à jure conſtitutâ. Actum Pariſiis die ſeptimâ Septembris anno Domini mileſimo ſexcenteſimo ſexageſimo.

Henricus de la Motte E. Rhedonenſis. Hardvinus E. Ruthenenſis. Franciſcus E. Ambianenſis. Carolus Epiſcopus Sueſſionenſis. Chapelas Cur. S. Iacobi. C. Morel. L. Bail. Fr. Ioannes Nicolai Pradicator. M. Grandin. Sauſſoy. Fr. Matthaus De Gancy Carmelita. Chamillard G. De Leſtocq.

Hæc approbatione præmiſſa, pauca nunc ex dictis tuis percurramus; latius contra te & Sodales tuos acturi dante Deo in opuſculis ſequentibus.

108. Poſt paginam 232, impreſſionis ut prætenditur Colonienſis, anno 1682. ita ſcribillas: *Tredecim Theologorum ad examinandas quinque propoſitiones ab Innocentio X. ſelectorum ſuffragia (ſeu, ut appellant vota) ſummo Pontifici ſcripta tradita ex quibus verus conſtitutionis ſenſus innoteſcit.* Ex Logica didici (an didiceris ignoro) antecedens debere eſſe notius conſequente. Antecedens tuum ſunt illa prætenſa ſuffragia, ex quibus vis noſci ſenſum damnatarum propoſitionum: & ipſum contextum verborum Authoris, ex quo excerptæ ſunt, quem, quo ad propoſitionem quintam tibi ſupra expreſſi, non attendis, devians in hoc ab omnibus Patribus Conciliis, Canonibus, & Doctoribus; qui ſenſum ex verbis eorumque contextu eruendum docuerunt. Quantam vero fidem mereantur iſtorum votorum allegatio diſce, ſi adhuc ignoras, ex decreto Alexandri VII. lato in Congregatione Generali ſexta Septembris 1657. in quo inter cætera ſic habetur.

Et quia circumferuntur quædam folia impreſſa anno 1657. quo-

" quorum titulus eſt, " *Tredecim Theologorum ad examinandas quinque* " *propoſitiones ab Innocentio X. ſelectorum ſuffragia*, ſeu, *ut appellant*, *vota* " *ſummo Pontifici ſcripto tradita.* Eadem Sanctitas ſua præſenti hoc " decreto illa prohibet, & declarat ac decernit, iis tamquam apo-" criphis nullam fidem eſſe adhibendam, nec à quocumque allega-" ri poſſe vel debere, & propterea epiſtolas, libellos, ac libros " alios quoſcumque inquibus doctrina Cornelii Janſenii Epiſcopi " Iprenſis in quinque propoſitionibus, per conſtitutiones Inno-" centii Prædeceſſoris & Sanctitatis ſuæ damnatis aſſeritur aut " quomodolibet approbatur vel defenditur, tam impreſſos quam " imprimendos quocumque idiomate, vel quomodolibet etiam " in ſcriptis evulgatos vel in futurum evulgandos, Sanctitas ſua " omnimodo damnat & prohibet, ac damnatos & prohibitos eſſe " voluit: Mandans, ut nemo cujuſcumque gradus, & conditionis " exiſtat, etiam ſpeciali, ſeu ſpecialiſſima nota dignus libros præ-" dictos, aut aliquem ex illis apud ſe retinere, legere, aut impri-" mere, aut imprimi curare audeat, ſub pœnis & cenſuris con-" tra hujuſmodi delinquentes ſtatutis. Sed ſtatim quicumque illos " libros habent, vel in futurum quomodocumque habebunt, loco-" rum ordinariis ſeu Inquiſitoribus ſub iiſdem pœnis exhibere te-neantur.

109. Pagina vero 65. ſic ais, non ignoras ſcriptiunculam noſtram ac multò magis celebrem illam epiſtolam decimam octavam provincialem, quæ te in magnas conjicit anguſtias, multorum manibus teri, nec paucis illud perſuaſiſſe &c.

De iſta epiſtola decima octava & aliis præcedentibus, quid judicaverint Epiſcopi & Doctores, jam vidimus. Illas omnes damnavit Alexander VII. in eodem decreto cujus partem contra te jam allegavi; accipe nunc Regium Galliæ judicium.

L'an mil ſix cens ſoixante, le 14. Octobre; Nous ſoubſigné Greffier de la Chambre Civile, Tournelle, & Police du Chaſtelet de Paris, en conſequence de l'Arreſt du Conſeil d'Eſtat du Roy du vingt-troiſiéme Septembre dernier, ſigné *Phelipeaux* & ſeellé, portant entr'autres choſes que le Livre intitulé, *Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales &c.* ſeroit bruſlé par les mains de l'Executeur de la haute Juſtice, à la Croix du Tiroir; avec defenſes à tous

Digitized by Google

Imprimeurs, Libraires, Colporteurs, & autres de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, d'imprimer, vendre & debiter, ni meſme retenir ledit Livre; pour l'execution duquel Arreſt, ſa Majeſté a renvoyé pardevant Monſieur le Lieutenant Civil, pour à la diligence de Monſieur ſon Procureur audit Chaſtelet, eſtre executé; auquel Arreſt eſt attachée la Commiſſion dudit jour, avec contreſeel: & en vertu de la Sentence renduë par mondit Sieur le Lieutenant Civil le huictiéme du preſent mois, ſur les remonſtrances & concluſions du mondit Sieur Procureur de ſa Majeſté, portant que ledit Livre, cy-deſſus mentionné, ſeroit bruſlé audit lieu de la Croix du Tiroir par l'Executeur de la haute Juſtice, conformement audit Arreſt: Et que pour ſçavoir les Autheurs, ceux qui ont fait iceluy, imprimé, & vendu, qu'il en ſeroit informé à la Requeſte dudit Sieur Procureur de ſa Majeſté, ſaiſir & arreſter les Exemplaires dudit Livre, pour eſtre le procés fait aux coupables, ſuivant la rigueur des Ordonnances, & icelle Sentence leuë, & affichée à ſon de Trompe & cry public, és lieux & places accouſtumées: Nous ſommes tranſportez ſur l'heure de midy au carrefour de ladite Croix du Tiroir, où eſtant, & aprés avoir fait allumer un feu par ledit Executeur de la haute Juſtice, aurions par la bouche d'iceluy, à haute & intelligible voix fait repeter tout le contenu en ladite Sentence cy-deſſus dattée, & enſuite fait mettre dans le feu ledit Livre intitulé *Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales*, par les mains dudit Executeur, lequel apres avoir eſté converty en cendre, nous ſerions retiré. Dont & de ce que deſſus avons dreſſé le preſent noſtre proces verbal, pour ſervir & valoir ainſi que de raiſon.

Signé

BERTHELOT.

ARTI-

ARTICULUS XV.

Horrenda impoſtura adverſus Sanctum Bonifacium Germanorum Apoſtolum & Galliæ lumen, item Sanctum Zachariam Summum Pontificem.

110. IN dicta epiſtola 18. ſic ejus Author aggreditur Sanctum Zachariam, & per conſequens Sanctum Bonifacium: Ne vous imaginez pas de meſme que les lettres du Pape Zacharie pour l'excommunication de S. Virgile, ſur ce qu'il tenoit qu'il y avoit des Antipodes, ayent aneanti ce nouveau Monde; &, qu'encore qu'il euſt declaré que cette opinion eſtoit une erreur bien dangereuſe, le Roy d'Eſpagne ne ſe ſoit pas bien trouvé, d'en avoir plûtoſt crû Chriſtofle Colomb, qui en venoit, que le jugement de ce Pape, qui n'y avoit pas eſté: & que l'Egliſe n'en ait pas receu un grand avantage, puiſque cela à procuré la connoiſſance de l'Evangile à tant de peuples, qui fuſſent peris dans leur infidelité.

111. Plures habuit perſecutores Epiſcopos & Sacerdotes Sanctus Bonifacius, quorum inſtigatione tandem Martyrio affectus eſt. Inter quos fuere Adelbertus & Clemens, item impius ille Virgilius, quem dictæ epiſtolæ Author, uti etiam Wendrockius, Sanctum appellant, Zachariam verò relatum etiam in Romano Martyrologio inter Sanctos ad diem 15. Martii, Sancti nomine non dignatur. Ad Bonifacium ita reſcribit Zacharias de duobus prioribus.

" In alia tua epiſtola reperimus contineri omnia, quæ contra ,, te egerunt falſi & ſchiſmatici Epiſcopi Aldebertus & Clemens, ,, per quæ omnia acta ipſorum & impiiſſimum errorem indicaſti. ,, Nos vero congregatis Fratribus & Conſacerdotibus noſtris, ,, eorumdem pravorum ſceleratiſſima acta in eorum præſentia re- ,, legi fecimus: & dum nobis coram omni Concilio relecta fuiſ- ,, ſent, pio ſtudio omnes eadem ſchiſmatica dogmata ipſorum,

atque

,, atque iniquiſſimas traditiones, ſeu ſceleratiſſimam vitam, quam
,, ſibi Aldebertus conſcribere fecit, damnaverunt, & una voce cla-
,, maverunt, ut igne cremarentur. Sed nos hoc non rectum judi-
,, cavimus ,pro eo quod ad reſervandum,ſive in æternum eos con-
,, demnandum, in ſcrinio Sanctæ Eccleſiæ reſervanda mandavi-
,, mus, conſcribentes ipſi dignam ſententiam: cujus inſtar actio-
,, nis ad tuam direximus, Frater, Sanctitatem, ut relecta ea in
,, Provincia Francorum, omnis ſchiſmaticus audiens taliter à
,, Sancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia judicatum, à ſenſus
,, ſui pravitate reſipiſcat".

112. Pergit in alia epiſtola Zacharias & de Virgilio ejuſque doctrina: " Et hoc intimatum eſt à tua fraterna ſanctitate, quod
,, Virgilius ille neſcimus ſi dicatur Presbyter; malignatur adver-
,, ſum te, pro eo quod confundebatur à te erroneum ſe eſſe à Ca-
,, tholica doctrina, immiſſiones faciens Otiloni Duci Baioario-
,, num, ut odium inter te & illum ſeminaret; aiens quod à nobis
,, eſſet abſolutus, ut unius defuncti ex quatuor illis Epiſcopis;
,, quos tua illic ordinavit fraternitas, diœceſim obtineret: quod
,, nequaquam verum eſt quia mentita eſt iniquitas ſibi. De per-
,, verſa autem & iniqua doctrina ejus, qui contra Deum & ani-
,, mam ſuam locutus eſt, ſi clarificatum fuerit ita eum confiteri,
,, *quod alius mundus, & alii homines ſub terra ſint, ſeu ſol & luna*, hunc
,, conſilio ab Eccleſia pelle, Sacerdotii honore privatum".

Loquiturne Zacharias de altera hujus orbis parte, & in ea exiſtentibus hominibus, quos Antipodes vocamus? An non apertè de alio mundo infrà nos conſtituto, in quo ſit alius ſol & alia luna? An ignoravit Zacharias quod ſol & luna hujus mundi ſeu nobis conſpicui terram hanc circuirent & iterum ab occaſu in Orientem vergerent: ut propterea doctrinam illam de motu ſolis & lunæ ſenſu noto diceret perverſam, iniquam, illiuſque Authorem Sacerdotii honore privatum decerneret?

113. Igitur vel inſignis impoſtor fuit iſtius epiſtolæ 18. Author, ſi Zachariæ decretum intellexit, & tamen intendit perſuadere quod ſit decretum per eum non dari *Antipodes* eò ſenſu quo dari nos docent hiſtorici & coſmographi: vel fuit ſupinæ ignarus aut temerarius, ſi Zachariæ textum non legit, vel non intellexit: ac

etiam

Digitized by Google

etiam hæreticus, ſi intellexit, & tamen alium mundum eò ſenſu quo docebat Virgilius dari putet. Temerarius quoque qui dictum Virgilium Sanctis annumerat. An forte deferente nigro Erebri Æthiope, vel Icari alis ex iſto mundo ad nos tranſlatus attulit Canonizationis Plutonicæ litteras?

ARTICVLVS XVI.

Ex iis, quæ facti ſunt, & minime probata, impugnant decreta ſuper facto probabiliori, ut inde certam concluſionem ſuper quæſtione juris eliciant.

114. IN eadem epiſtola 18. ad Provincialem quam ita laudat Paulus Irenæus ſic ait Montaltius: "C'eſt en vain par " exemple que les Religieux de Ratisbone obtinerent " du Pape Saint Leon IX. un decret ſolemnel, par " lequel il declara que le corps de S. Denys premier Eveſque de " Paris, qu'on tient communement eſtre l'Areopagite, avoit eſté " enlevé de France, & porté dans l'Egliſe de leur Monaſtere. Ce" la n'empeſche pas que le corps de ce Saint n'ayt toûjours eſté & " ne ſoit encore dans la celebre Abbaye qui port ſon nom, dans la" quelle vous auriez peine à faire recevoir cette Bulle: quoique ce " Pape y teſmoigne avoir examiné la choſe, avec toute la diligen" ce poſſible, diligentiſſime; & avec le conſeil de pluſieurs E" veſques & Prelats: de ſorte qu'il l'oblige eſtroitement tous " les Francois, diſtricte præcipientes, de reconnoiſtre & de con" feſſer, qu'ils n'ont plus ces Sainctes Reliques. Et neantmoins " les Francois qui ſcavoient la fauſſeté de ce fait par leurs propres " yeux, & qui ayant ouvert la chaſſe y trouverent toutes ces Re" liques entieres, comme le témoignent les hiſtoriens de ce temps " là, crurent alors, comme on l'a toujours crû depuis, le contraire " de ce que ce S. Pape leur avoit enjoint de croire, ſcachant bien " que meſmes les Saint & les Prophetes ſont ſujets à eſtre ſurpris.

115. Reſpondeo. In primis hic fuit quæſtio puri facti, *An Corpus S. Dionyſii fuerit è Gallia tranſlatum Ratisbonam: & conſequenter, an quod pro tali colerent Ratisbonenſes, eſſet verè illius corpus.* Fuit quæſtio, *An illa reliquia, quæ in Gallia colebantur tanquam S. Dionyſii, non non eſſent alterius Sancti in prioris locum ſubſtituta.*

Conſtat plurimorum Sanctorum Corpora fuiſſe de loco ad locum tranſlata, de Civitate in Civitatem, de Provincia in Provinciam, de Regno in Regnum. Innumera ſimilium tranſlationum exempla referunt, qui acta Sanctorum deſcripſerunt, tam Galliæ, Germaniæ, Hiſpaniæ Belgii quam aliorum. Ejus rei fidem fecerunt patrem Societatis Jeſu Antverpienſes.

Prædictæ quæſtiones de corpore Sancti Dionyſii fuerant ante tempora Sancti Leonis IX. diu multumque agitatæ inter Germanos & Francos donec tandem contentionis finem à Sancto Leone imponi utraque pars petierit. Sic vero decrevit Sanctus Pontifex: „Tui Francorum Rex in Christo Fili chariſſime, nos Legati, tuorumque omnium vice ſoliciti rogarunt, quatenus litem, „quæ inter vos & urbem prædictam ſuper Sacro-ſanctis oſſibus „Beatiſſimi Dionyſii Areopagitæ diutiſſime ventilatam, veritate diſcuſſa, dirimere curaremus; vobis quidem eadem apud „vos eſſe dicentibus, civibus autem atque incolis urbis præfatæ aſtruentibus è converſo ea per inviotiſſimum Arnulphum „quondam Imperatorem ad Eccleſiam Beati Martyris Emmerani eſſe tranſlata, ibidemque deinceps contineri.

„Nos ergo utriuſque partis precibus inclinati, nec volentes ulterius corda fidelium hujus dubii ambiguo caligare, *In fratrum „noſtrorum ac plurium Epiſcoporum ac Prælatorum præſentia & conſpectu,* „Scripta Arnulphi Auguſti, ordinemque rei diligentiſſimè perlegentes, nec eo contenti capſas, thecas & ſcrina, in quibus „Sacræ Reliquiæ conditæ dicebantur, ac titulos ac epigrammata eorumdem oculo tenus ſolerti examine diſcutiendo, nihilque omittendo quod ad indagationem certitudinis pertinet, „*Tam Imperialibus quam Papalibus anteceſſorum noſtrorum literis ſufficienter inſtructi*; picturis quoque parietum multiplicibus, & ſculpturis vetiſſimis, exprimentibus indicia veritatis & notas indubitata fide comperimus, dicti Doctoris & Martyris Oſſa venerabi-

„ tabilia, excepta particula unica ſimul & minimâ manûs dextræ,
„ apud memoratum B. Emmeranni cœnobium integraliter conti-
„ neri. *Etſi enim teſtimonia hominum quæ jam diximus, non ſufficerent, di-*
„ *vina non defuere prodigia & portenta, quæ dubium omne penitus abege-*
„ *runt:* Quæ nos quoque conſcribi juſſimus diligenter, vobiſque
„ tranſmitti per veſtros Nuntios ac Legatos, nec non apud Eccle-
„ ſiam prædictam perpetuo conſervari; ut & ad poſteros geſtæ
„ rei notitia deducatur, & ulterius litigandi materia penitus con-
„ quieſcat.

Et paulò poſt: " Vos autem in Chriſto dilectiſſimi Fili Rex
„ Francorum, tuique fideles, quamvis invidendi Teutonicæ
„ Genti videamini juſtam quidem habere materiam, ita ut puta-
„ tis merito de Alemannorum vobis lætitia ſit dolendum, conſi-
„ derantes tamen & Dei omnipotentis & invicti Martyris ſui
„ voluntatem, quem ablatum plangitis, conſolationis tandem
„ admittite placamentum, penſantes attentius, quod nec vobis
„ ablatus eſt, quippe qui clariſſimos prædicationis ſuæ & paſſio-
„ nis conſortes, Ruſticum & Eleutherium, in dilectionis adhuc
„ & tutelæ pignus & certitudinem dereliquit: nec dolete ſi Ger-
„ manos jam viſitare dignatus eſt vel defunctus, qui vobis adhuc
„ vivens prædicavit, & apud vos bonum certamen certando, cur-
„ ſum conſummando, fidem ſervando, triumphum peregit victo-
„ rioſiſſimæ paſſionis, Appſtolatus ſui ſuper vos ſigna tam in vita
„ perficiens, quam in morte".

116. Nobis igitur Montaltius, Wendrokius, Irenæus oſtendant
illas Reliquias, quæ in Gallia tanquam S. Dionyſii coluntur, eſſe
veras illius Sancti, nunquam ejus corpus fuiſſe aliò tranſlatum
probent, exhibeant, teſtimonia tot & tanta, qualia coram Sancto
illo Pontifice exhibita ſunt; talia inquam, quæ iſtorum fidem e-
vertant: tum non aliud evincent, quam quod in materia puri facti
non fuerit aſſequutus veritatem Pontifex, quemadmodum poſſunt
cæteri Judices reipſa & materialiter falſum decernere, dum tantæ
ſunt in oppoſitum probationes, ut aliter juxta Leges & Canones
pronunciare non poſſint. Interim verò quamdiu evidenter de
falſitate probationis non conſtat, *Res judicata*, inquit Reg. Juris,
pro veritate habetur.

117. Hæc dicta ſint de facto controverſo: ſed impertinenti ad id de quo agitur, ſeu, ad evertendam authoritatem Sanctæ Sedis in quæſtionibus juris, aut facti talis, cujus cognitio pertineat ad doctrinam univerſalis Eccleſiæ; qualis eſt illa, quod Innocentius XI. ſit verus Pontifex Romanus Chriſti Vicarius. Hoc, uti confido, non negabunt adverſarii poſſe authoritate infallibili definiri à Concilio Univerſali licet ſit facti, nec in Sacra Scriptura determinatum quod foret aliquando unus Innocentius XI. Petri Succeſſor. Nugas ergo agit Irenæus in verbis ſupra allegatis: licet enim non fuerit revelatum quod Janſenius eſſet ſcripturus illa, quæ ſupra allegavi, nec ſit revelatum in Sacra Scriptura aut Traditione, quod Galli, qui contra Janſenium ſtabant, paucioribus verbis eſſent expreſſuri totum illud, quod longa periodo & multis verbis ille ſcripſerat: nihilominus Latinum intelligenti, tam clarum eſt Janſenium id dixiſſe, quod illi expreſſerunt ut non alia probatione ſit opus, quam inſpectione verborum & Latinitatis intelligentiâ.

118. Æquè ineptit Montaltius in dicta epiſt. 18. *Ce ſeroit, inquit, auſſi, mon Pere, le moyen d'enfermer l'entrée aux heretiques, & de leur rendre l'authorité du Pape mépriſable, que de refuſer de tenir pour Catholiques, ceux qui ne croiroient pas que des paroles ſont dans un livre, où elles ne ſe trouvent point; parce qu'un Pape l'auroit declaré par ſurpriſe. Car ce n'eſt que l'examen d'un livre, qui peut faire ſcavoir que des paroles y ſont. Les choſes de fait ne ſe prouvent que par les ſens. Si ce que vous ſoutenez eſt veritable, montrez-le, ſinon ne ſollicitez perſonne pour le faire croire: ce ſeroit inutilement. Toutes les puiſſances du monde ne peuvent par authorité perſuader un point de fait, non plus que le changer, car il n'y a rien qui puiſſe faire, que ce qui eſt, ne ſoit pas.*

119. Aperi oculos Montaltî, aperi Irenæe, lege cap. 21. l. 3. de Gratia Salvatoris, & videbis nullam eſſe quæſtionem facti, *an ea, quæ deſcripſi, non ibi habeantur.* Aperi oculos mentis nulla erit quæſtio de ſenſu; communis intelligentia omnium, qui Latinum intelligunt, docet contextum ſonare, *quod Chriſtus non ſit mortuus pro æterná ſalute infidelium in infidelitate permanentium, aut juſtorum non perſeverantium; ſed ſolum pro æterna ſalute prædeſtinatorum ſeu ſalvandorum.* Si nulla poteſtas poſſit hoc tibi perſuadere, fatere te

Eccle-

Eccleſiæ rebellem & contumacem; nec amplius tecum verbis, ſed flagris agendum. Tu vero Irenæe qui in ratiocinatione tua ſupra deſcripta vis propoſitiones ad fidem pertinentes eſſe æternæ veritatis, dic quandonam à morte Chriſti falſum fuit quod Chriſtus eſſet mortuus etiam pro ſalute æterna infidelium in infidelitate morientium vel juſtorum non perſeverantium, quandoquidem fatearis quod Innocentius X. *damnaverit errores, qui ab ineunte Eccleſiæ fuerunt perpetuo errores.*

ARTICVLVS XVII.

De facto non controverſo, ſed dubii juris; & quam inepte ab illo argumentantur adverſarii.

120. ALiquid tetigi hac de re in tertio Opuſculo adverſus Adrianum & conſequenter Almainum, aliosque; qui ex eo quod aliqui Pontifices poteſtatem conferendi Sacramentum Confirmationis delegaverint in caſu neceſſitatis ſimplicibus Sacerdotibus, illos arguunt hæreſis, aut erroris in fide, ideoque volunt S. Sedis definitiones in materia fidei aut morum non eſſe irrefragabilis authoritatis. Prædictis addo ſimile ſpecialiter adverſus Almainum juvenem dum ſcripſit, & petulantem; ut ſchiſma, quod tunc non erat extinctum, foveret.

121. Plures Pontifices in Matrimonio rato diſpenſaſſe, & alteri nubendi dediſſe licentiam conjugibus, eſt quid facti minimè controverſi, id multis teſtantibus. An potuerint & poſſint, ipſumque Matrimonium ejuſmodi reipſa coram Deo diſſolvatur, certi adhuc & definiti Juris non eſt: pleriſque aſſerentibus euſque ſe extendere Eccleſiæ & Pontificis authoritatem, aliis negantibus.

Et quidem pro parte affirmativa ſunt inter cæteros Gloſſa *cap. ex public o, de converſ. conjug.* ubi Goffred. Alanus & Vincent. Innocent.

nocent. Joan. Andreas *num.* 9. Anton *num.* 16. Cardin. *nu.* 2. *q.* 1. Abb. *in fine ibidem, & cap. ex parte eod.* item *c. fin. de ſponſa duorum,* ubi etiam Cardin. & Henric. *num.* 4. *& ſeqq.* & Præpoſt. *ibidem,* Archidiac. *in c. quapropter* 27. *q.* 2. Bald. *l. Deo nobis, in princ. nu.* 7. *c. de Epiſc. & Cleric. ſponſal.* Anchar. *in repetit. ſuper cap. Canonum, de conſtitut.* 30. *& cap.* 2. *de converſ. conjug. num.* 2. *& d. cap. ex publico, num.* 11. ubi & Benedictus: Imola *c. finali num.* 5. *de tranſact.* Felinus *cap. quæ in Eccleſiarum nu.* 20. *de conſtit.* ubi & Decius *nu.* 13. *& conſ.* 112. *num.* 3. *&* 603. *&* 681. *num.* 7. Socinus Senior *conſ.* 28. *l.* 1. *num.* 6. Portius *conſ.* 154. *nu.* 7. plurimos alios addit Thomas Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *diſp.* 14.

122. Contrarium ſentit Baſilius Pontius *de Matrimonio lib.* 9. *c.* 3. ſequutus alios Thelogos & Canoniſtas quoſdam: ecce tamen quod poſt illorum multos præmittit: *Gravius hac eſt diſputatio, in qua quidquid affirmes innumeros patronos habet. Illud tamen ſtatuamus primum quod ad praxim attinet, ſecuram eſſe partem qua affirmat, & ideo tuta conſcientia Pontifices diſpenſare potuiſſe, ut ſape diſpenſaſſe referunt Antoninus, Navarius &c. Vt enim tuta conſcientia faciant, ſufficit probabilis Doctorum opinio quam hactenus non damnavit Eccleſia, qua aſſerit diſſolvi poſſe. Solum ergo dubitatio eſt ſpeculative loquendo quidnam in hac re fuerit probabilius.*

123. Similia multis probat Lupus *in tractatu de opinione probabili,* ıb aliquo tempore impreſſus, cujus etiam apud me exſtat exemplar, licet nondum publicam lucem viderit. Et Sinnichius agens hac de re *lib.* 1. *Saulis ex Regis* §. 260. *Non repugnat,* inquit, *quempiam proferre ſententiam, aut exercere actum externum poteſtatis clavium contra propriam opinionem, quam in animo fovet: prout communiter Theologi probant in materia ſacramentalis confeſſionis; quatenus aſſerunt confeſſarium poſſe, vel etiam teneri abſolvere pœnitentem contra propriam opinionem contrariam.*

124. Verum placuit Almaino, placet Pontificiæ authoritatis hoſtibus cudere articulum fidei, & venditare tanquam ab Eccleſia definitum *Pontificem diſpenſare non poſſe, & qui diſpenſarunt docuiſſe hæreſim.* Videamus paulò plenius iſtius petulantis & Juvenili Almaini, qui in tractatu ſuo de authoritate Eccleſiæ ſolum corraſit & redegit in Compendium dicta ab Ockam, Nicolao

de

de Cuſa, Gerſone, Panormitano &c. Corraſitque, videamus inquam, temeritatem. Sic concludit opuſculum ſuum: *Hac ſcripſi anno* 1512. *Doctoratus mei anno primo.* Scripſit ergo tempore ſchiſmatis, quód demum ſublatum fuit ſub Leone X. per Lateran. Concil. an. 1515. de Schiſmate iſto ita Julius II. *Convenientes ut locuſtæ Acephali aggreſſi ſunt ſine Romani Pontificis authoritate Concilium Oecumenicum Generale atque Univerſale convocare, locum Concilii & tempus indicere, & valvis Eccleſiarum ac aliis publicis locis per publica inſtrumenta etiam falſa indictionem hujuſmodi affigere & publicare, eiſdemque inſtrumentis falſis publicè ac impudenter uti, quoſdam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſui propoſiti ſocios in eorum prætenſe edicto falſo declarando? Qui tamen & publicis & privatis ſcripturis eorum propriis manibus ſcriptis, ſe illis in hujuſmodi propoſito neque verbo neque ſcripto unquam vixiſſe, ſeu quomodolibet conſenſiſſe proteſtati ſunt.*

125. Habent adverſarii tempus quo ſcripſit Almainus, *anno* 1512. Habent temporis circumſtantiam, nempe ſchiſma: habent juvenilem hominis ætatem *anno primo mei Doctoratus*, intelligant jam ejus temeritatem adverſus Sancti Thomæ Doctrinam, quam expreſſerat *Thomas de Vio*, poſtea Cardinalis Cajetanus. *Dicit*, inquit, *prædictus Frater Thomas de Vio quod ad ſummum Pontificem ultimatè eorum quæ fidei ſunt deciſio ſpectat, fundans ſe in dicto S. Thoma* 2.2. *q.* 1. *art. ultimo: & ultra dicit Summum Pontificem quamvis errare poſſit errore perſonali in credendo, non poſſe tamen errare errore judiciali in fide: quia error Papæ eſſet error totius Eccleſiæ: quia ad ipſum ſpectat finaliter determinare de fide, quid tenendum, quid repellendum, ut ab omnibus inconcuſſa fide teneatur. Ut dicit S. Thomas in tract. contra errores Græcorum capitulo* 67. *unde & Petro dixit Chriſtus: Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma Fratres tuos.*

En objectio ex S. Thomæ doctrina, etam fundata in S. Scriptura & aliis quæ contra Græcos retulit idem Sanctus; accipite nunc Almaini reſponſionem brevem quidem, ſed juvenili & petulante Doctore dignam: *Ad authoritatem D. Thomæ*, inquit, *non eſt magna vis facienda.*

126. Paulatim denudaverimus adverſarios omnibus Authoribus, qui in fide Catholica creduntur obiiſſe; ita ut deinceps ſuppetias habere non poſſint niſi hæreticos vel Schiſmaticos: interim ego

ego alium magni nominis ex ipſis Gallis contra ipſos in aciem
producam : ille eſt Illuſtriſſ. Archiepiſcopus Arelatenſis & Prin-
ceps, Joannes Jaûbert Regi Chriſtianiſſimo à Conſiliis Statûs &
privatis, in libro impreſſo Pariſiis anno 1631. cum privilegio
Regio dedicato Regi Ludovico XIII. Sub hoc titulo *Bouclier de
la foy Catholique* adversùs hujus ſæculi hæreticos du Moulin & a-
lios, negantes illam, quam hactenus docuit Eccleſia & quam aſ-
ſerimus Pontificis authoritatem & ita petentes : *En quel paſſage de
l'Ecriture il eſt dit, que l'Egliſe Romaine eſt juge ſouveraine des doubtes de la
foy, & qu'elle ne peut errer.* Inter alia quibus ipſos confutat, ſic
reſpondit c.3. refutationum §.25. „ Sainct Auguſtin nous l'en-
„ ſeigne parlant ainſi aux Donatiſtes, des Eveſques de Rome :
„ *Contez les Preſtres depuis le ſiege de Pierre, voyez en cet ordre des Peres,*
„ *qui à ſuccede, & à qui. C'eſt la pierre que les ſuperbes portes d'enfer*
„ *ne ſurmontent point.* Sainct Hieroſme en l'epitre 57. au Pape
„ Damaſe : *Ie parle avec le Succeſſeur du pescheur, & avec le diſciple de*
„ *la croix. Ie m'aſſocie par Communion à voſtre Beatitude, c'eſt à dire à*
„ *la chaire de ſainct Pierre, ne ſuivant autre, qui vous precede, que Ieſus-*
„ *Chriſt meſme. Ie ſcay que c'eſt ſur cette Pierre que l'Egliſe eſt fondée.*
„ *Quiconque mange l'Agneau hors de cette maiſon eſt profane, quiconque ne*
„ *ſera dans l'Arche de Noë, perira és eaux du deluge.* Et plus bas :
„ *Quiconque n'amaſſe avec vous, épard : c'eſt à dire, qui n'eſt à Ieſus-Chriſt,*
„ *eſt à l'Antichriſt.* Et peu apres : *Ie ſcay que l'Egliſe eſt baſtie ſur cette*
„ *Pierre. Ie vous prie de donner voſtre jugement. Ie ne craindray point de*
„ *dire qu'il y a trois Hypoſtaſes, ſi vous me le commandez &c.* N'euſt-il
„ pas eu occaſion de craindre, s'il creu que le Pape Damaſe ne ſe
„ pouvoit tromper? auſſi dit-il qu'il eſt la pierre ſur la qu'elle l'E-
„ gliſe eſt fondée, contre la quelle les portes d'enfer n'ont point
„ de force, non plus que contre l'Egliſe. Et comme dit Sainct
„ Leon : *l'Apoſtre Saint Pierre en vertu de ſa belle confeſſion à receu la fer-*
„ *meté de la Pierre, qui ne peut eſtre eſbranlée par aucun effort.* Et peu
„ apres : *Car Dieu luy à donné une ſi grande ſolidité, que ny la meſchanceté*
„ *heretique ne la jamais peu corrompre, ny la perfidie Payene ne l'a jamais*
„ *peu ſurmonter.* Et peu devant il avoit dit : *Que la ſolidité de cette*
„ *foy, qui à eſte louée au Prince des Apoſtres, dure touſiour, & que la puiſ-*
„ *ſance de S. Pierre vit en ſon ſiege, & que ſon authorité à toujours la meſ-*

me

,, *me eminence*,& Agathon Pape en l'epitre à l'Empereur Conſtan-
,, tin qui fut leuë au ſixieſme Concile General, action 4. & ap-
,, prouvée de tout le meſme Concile en l'action 8. parle ainſi :
,, *C'eſt la regle de la vraye foy que l'Egliſe Apoſtolique de Ieſus-Chriſt la*
,, *Mere ſpirituelle de voſtre Empire plein de repos & de tranquillitez, a*
,, *vigoureuſement tenu & deffendu, ſoit en proſperité ſoit en adverſité ; la-*
,, *quelle Egliſe par la Grace de Dieu tout puiſſant monſtre n'avoir jamais*
,, *fourvoyé du ſentier de la tradition Apoſtolique, & n'avoir jamais eſté*
,, *de pravée, ſuccumbant aux nouveautez des heretiques &c. ſelon la Divine*
,, *promeſſe du Sauveur meſme, qui dit en l'Evangile au Prince de ſes Diſci-*
,, *ples, Pierre, Pierre, voicy Satan &c. mais j'ay prié pour toy &c. celuy*
,, *qui a promis que la foy de Pierre ne manqueroit jamais, a adverty le meſme*
,, *de confirmer ſes freres. Ce que tous ſcavent avoir eſté tousjours pratiqué*
,, *confidemment par les Pontifices Apoſtoliques mes Predeceſſeurs.* Voila
,, donc comme tous croyent que l'Eveſque de Rome ne peut
,, errer en la foy. Ce que le Pape Agathon & tout le Concile re-
,, cognoiſt avoir tousjours eſté receu en l'Egliſe". Nova ergo eſt
& ſenſui Eccleſiæ contraria adverſariorum doctrina.

ARTICULUS XVIII.

Adverſarii per inſignes impoſturas confundunt perſonarum qualitates, Gerbertum Schiſmaticum pro Sylveſtro Papa, Nicolaum de Cuſa juvenem Doctorem & errantem, cum Cardinali Cuſano jam correcto obtrudentes.

127. Dixi ſupra n. 91. non confundendas perſonarum qualitates, uti confudit Anonymus Advocatus Adrianum Doctorem Lovanienſem cum eodem jam uti Pontifice, & ex Cathedra docente, & confundunt cæteri adverſarii, idem ſtatuentes circa Gerbertum Schiſmaticum

& Nicolaum de Cuſa, aitque ille pag. 29. *Le Cardinal de Cuſa &c.* videamus iſta duo breviter.

Natus eſt Nicolaus de Cuſa anno 1400. id conſtat ex vita ejus præfixa operibus. Suſcepto in Germania Doctoratu Juris, ſecutus eſt illos, de quibus ita ſcribit Pius Secundus *In Bulla Retractationum* ad Colonienſes: *Adfuerunt aliquando veſtri & aliorum Germanicæ Nationis Oratores, & uno cuncti ore Concilii generalis authoritatem ad cœlum efferebant, de poteſtate Romani Pontificis pauci erant, qui loqui præſumerent, omnes publicè loquebantur, prurientes auribus multitudini applaudebant.*

128. Juvenis Nicolaus de Cuſa pruriebat auribus cum cæteris, & ſub initium Baſileenſis Concilii ſcripſit libros tres *de concordantia Catholica*, quos ipſi Concilio dedicavit, his verbis: *Ego Nicolaus de Cuſa, Decretorum Doctor, minimus ſacro huic Baſileenſi Concilio cum omni humilitate offero, nihil in omnibus verum aut defendendum pro vero judicans, ſeu aſſerens, niſi quod ipſa S. Synodus Catholicum & verum judicaverit, in omnibus ab omnibus corrigi paratus.* Audiſtis Nicolaum de Cuſa juvenem, ſed Almaino humiliorem, & corrigi paratum. Correctus eſt, non à Concilio Baſileenſi; ſed ab aliis eo modo, quo Æneas Sylvius, & fortiſſimè contra Baſileenſes ſtetit.

129. Hujus rei teſtem habetis ipſummet in Apologia contra Venckum, quam per modum Dialogi inter duos Diſcipulos ſuos dictavit, in qua hæc alter alteri de Cuſano, ipſo dictante, ſcribit: *Interrogari cœpi quiſnam hic olim Abbas Mulbrumenſis, per quem docta ignorantia ad adverſarium perlata fuiſſet:* Reſp. *Cum hominem acris ingenii, & ſanctæ converſationis fuiſſe, qui doctæ ignorantiæ libellos dilexit maximè, quia ab Apoſtolico Legato, & pleriſque magnis Viris, magni aliquid continere laudabantur; cui quidem Legato Abbas ipſe ſingulariſſima affectione contingebatur, ſed adjecit ſe non putare, quod Abbas ipſe huic Viro libellos obtuliſſet, ſed potius alteri Religioſo, à quo ad iſtum perveniſſet. Adjungens, Abbatem in ea differentia, quæ inter Apoſtolicam Sedem & Baſileenſem congregationem per dietas agitabatur, partem veritatis Apoſtolicæ Sedis ſollicitaſſe, cui adverſabatur iſte Venckus. Oſtendit autem mihi Præceptor verba adverſarii in fine compilationis ejus, Præceptorem Pſeudo-Apoſtolum nominat, ut viderem hominem ex paſſione locutum, ſcis enim, Amice optime, quod nemo tantâ ferventiâ reſtitit* (nota) *Baſileenſibus, ſicut Præceptor noſter.*

ſter. Hinc ille Venccbus, qui ab univerſis Doctoribus Heydelbergenſis ſtudii abierat, & partem damnatam Baſileenſium ſumpſit, in qua fortaſſis pertinaciter perſiſtit, veritatis (nota) *defenſorem Pſeudo-Apoſtolum nominare non erubuit. Curavit enim ut cum ipſi Abbati, & cunctis odioſum & parvi momenti faceret, ſed non prævaluit fraudulentia quia veritas vicit.* Habetis Cardinalem de Cuſa D D. Anonymi, non à partibus veſtris ſtantem ſed obſtantem & reſiſtentem. Habetis hujus rei teſtem ipſummet Cardinalem: qui dum, etiam ante adeptam dignitatem, fortiſſimè reſtitit Baſileenſibus, cenſuit frivola eſſe, quæ pro authoritate Generalis Concilii junior ſcriptitaverat.

130. Sed magis cachinno dignum eſt, quod quidam Archi-Epiſcopi, in ejus exequiis, encomiaſtes declamavit, dicens inter cætera: " *Quibus porro regulis Canonica, atque Moralia ejuſmodi præ-*
" *cepta circumſcribunt; à Sylveſtro II. accipite:* ſi lex communis Ec-
" cleſiæ Catholicæ, inquit, Evangelium, Apoſtoli, Prophetæ,
" Canones Spiritu Dei conſtituti, & totius mundi reverentia
" conſecrati, & Decreta Sedis Apoſtolicæ ab his non diſcordan-
" tia. *Ecce quæcumque ab his diſcordant, ſint licet ipſa Sedis Apoſtolicæ*
" *Decreta tamquam falſa, tamquam noxia, & ut, cum Lyrinenſi loquar,*
" *tamquam ſomnia, tamquam fabulæ, tamquam ſuperflua abolenda, anti-*
" *quanda, conculcanda ſunt*".

131. Hunc Encomiaſtem jam à pluribus annis confutavit vir doctus, inter alia ſcribens, Sylveſtro II. adſcribuntur iſta: *Si lex communis Eccleſiæ, Evangelium, Apoſtoli, Prophetæ, Canones, &c. & Decreta Sedis Apoſtolicæ ab his diſcordantia,* Sylveſtri II. nixus authoritate pronuntiat ille, *quæcumque ab his diſcordant, ſint licet ipſa Sedis Apoſtolicæ Decreta, tamquam falſa, tamquam noxia, tamquam ſomnia conculcanda eſſe.* Seu imperitia lapſus eſt, quod malim; ſeu fœdam admiſit fraudem; fallaciſſima eſt oratio; quod unum ago; non eſt lapſus imperitia, ſi epiſtolam legit, unde ea ſunt deprompta quibus authoritatem donat Sylveſter II. Sunt vero reipſa, uti & epiſtola tota, Gerberti Pſeudo-Archiepiſcopi Remenſis, Sediſque Apoſtolicæ perduellis, qui novem circiter poſt annis ſtudio Othonis III. Imperatoris, ex Archiepiſcopo Ravennate, factus eſt Rom. Pontifex Sylveſter II.

132. Hiſtoriam, quæ hic ad rem facit, delibo ex Baronii anu-

Digitized by Google

nalibus:"Gerbertus Monachus quondam Auriacenſis cœnobii ſub
" ſpe inſtituendi Filium Hugonis Regis cum Monaſterio Mona-
" ſticam quoque verecundiam miſſam fecit: curialis inter curiales,
" ſic profiteri cœpit, ut garrulitate dicacitate, oblocutione, de-
" tractione, adulatione, animi duplicitate, ad ſimulandum, atque
" fallendum ſumma dexteritate compoſitus, omnes facile ante-
" celleret. Bene habent hæc principia. Deinde celebrata Rhe-
" mis Pſeudo-Synodus, ſtimulante, ac terrente Epiſcopos Hu-
" gone Rege, præter voluntatem Rom. Pontificis Joannis XV.
" Exauthorizavit Rhemenſem Archiepiſcopum Arnulphum, atque
" in ejus Sedem evexit Gerbertum illum ipſum, de quo modo.
" Hæc ut ſimul reſcivit Joannes Papa pro eo ac res merebatur gra-
" viter commotus, Sacris interdixit Epiſcopis omnibus, qui deje-
„ cto Arnulpho Gerbertum ſuffecerant". Apoſtolicis hiſce litte-
ris, inquit Baronius, exacerbabatur valde Gerbertus in ipſum
Rom. Pontificem & ad Seguinum Archiepiſcopum Senonenſem
litteras dedit, equidem virulentas ex animo exacerbato admo-
dum proditas Catholico homine prorſus indignas.

133. Plura habet vir ille, per quæ hominis temeritatem con-
futavit. Jungam tamen quædam alterius verba: ſcilicet Amoini
nobilis Hiſtorici: "In illis diebus in Rhemenſium Civitate erat
„ Archiepiſcopus vir bonus & modeſtus, Frater Lotharii Regis
„ ex concubina nomine Arnulphus; Hugo autem Rex invidebat
„ ei volens exterminare progeniem Regis Lotharii, congreganſ-
„ que in urbe Rhemenſi Synodum, in eum locum idem Rex Hu-
„ go invitavit Archiepiſcopum Senonicæ Urbis nomine Segui-
„ num cum ſuffraganeis ſuis in quo Concilio fecit degradari Do-
„ minum Arnulphum Archiepiſcopum Rhemorum dolo nepotis
„ ſui, quem tenebat in carcere, dicens non debere eſſe Epiſco-
„ pum natum ex concubina: in loco autem ejus conſecrari fecit
„ Dominum Gerbertum Monachum Philoſophum, qui Gerber-
„ tus Magiſter fuit Roberti Regis Filii iſtius Hugonis, & Domi-
„ ni Leutherici Archiepiſcopi, Succeſſoris Venerabilis Seguini
„ Arnulphum autem mancipati cuſtodiæ in Aureliana Civitate.
„ Venerabilis autem Seguinus Archiepiſcopus non conceſſit in
„ degradationem Arnulphi, neque in ordinationem Gerberti:
juſſio

Digitized by Google

,, juſſio autem Regis urgebat : alii vero Epiſcopi, licet inviti, ta-
,, men propter timorem Regis degradaverunt Arnulphum., & or-
,, dinaverunt Gerbertum ; Seguinus autem plus timens Deum,
,, quam terrenum Regem, noluit conſentire nequitiæ Regis ; ſed
,, magis quantum potuit, redarguit ipſum Regem propter quam
,, cauſam ira Regis contra eum efferbuit. Cum magno itaque de-
,, decore expelli juſſit Arnulphum de Eccleſia Beatæ Mariæ Ge-
,, netricis Rhemenſis, & ſic alligatum retrudi in carcerem. Al-
,, ligatus autem in carcere Aurelianæ Civitatis, ubi detinebatur
,, nepos ejus Carolus, manſit ibi annis tribus. Nunciantur hæc
,, omnia Præſuli Romano qui valde indignatus ſuper hoc facto
,, interdixit Sacris omnibus Epiſcopis, qui Arnulphum dejece-
,, rant, & Gerbertum ordinaverant &c. Miſit quoque Leonem
,, Abbatem à Sede Apoſtolica ad Dominum Seguinum Archiepiſ-
,, copum Urbis Senonicæ, qui vice ſua in Urbe Rhemenſi Sy-
,, nodum congregaret, mandans illi, ut ſine dilatione revocaret
,, de carcere Arnulphum, & degradaret Gerbertum. Collecto
,, igitur Concilio iterum in Urbe Rhemenſi, ex juſſione Apo-
,, ſtolica revocatus eſt Arnulphus de Cuſtodia, & cum honore
,, magno receptus in propria Sede, Gerbertus autem intelligens
,, quod injuſte Pontificalem ſuſcepiſſet dignitatem, pœnitentia
,, ductus eſt.

134. Antequam autem pœniteret irritatus Gerbertus, ecce qualiter Joanni Papæ *ep.* 23. ſcribat : *Qua ſpe vos adeundi periculum faciam ne dignemini Sacris Apicibus ſignificare, alioquin ne miremini ſi his Caſtris me applico, ubi maxima portio Legis Humanæ, nulla Divinæ. Divinitas ſecunda in ſpeculativis. Fiet hoc mea puſillanimitate, veſtra ceſſante magnanimitate.*

Addit ex ſuo cerebro Encomiaſtes : *Ecce quæ ab iis diſcordant, licet ipſa ſint Sedis Apoſtolicæ decreta, tamquam falſa, tamquam noxia &c. conculcanda.* O inſignem Eccleſiæ Romanæ Filium, & Moralis Theologiæ reformatorem, qui decreta quælibet Pontificia privato cujuſlibet judicio obnoxia vult eſſe, ut ſi ea judicet Evangelio, traditioni & Canonibus adverſari, abjiciat, aboleat, conculcet. Hoc nec Lirinenſis docuit, nec ullus Catholicus : ſed Eruditiſſimus Facundiſſimuſque Encomiaſtes, Schiſmatici Gerberti contextum affingens Lirinenſi.

135. Pari

135. Pari temeritate procedunt in pleriſque allegationibus Patrum, quos loquentes de privatis perſonis, aut regulis, ſecundùm quas vivere quiſque debeat, & de delictis contra illas, trahunt ad ſumnos Pontifices & errores eorum in fide, de quibus ne vel apparenter Patres egerunt, ut patebit poſtea in diſcuſſione ſingulorum. Iſtud autem tantum hic annoto breviter; ut qui (dum pergo) adverſariorum libris delectantur, pruriunt auribus, diſcipulis ſuis obtrudunt; prius diligenter citata ab illis perpendant, conſulant loca, ex quibus fragmenta ſæpe corrupta allegantur; res, perſonas, cauſaſque diſtinguant.

ARTICVLVS XIX.

De non extendendis Decretis etiam Conciliaribus ab una perſona ad aliam, à privatis, in quos feruntur, non trahendis adverſus Summum Pontificem.

136. IN l. 5. & multis ſequentibus ff. *De exceptione rei judicatæ*, in Codice titulo *res inter alios acta*, fusè Legiſlatores tradunt, *Sententias Iudicum non extendi de re ad rem, de perſona ad perſonam:* Hoc tradunt quoque Juriſperiti Galliæ. Has leges prævaricantur adverſarii & inter eos Anonymus Pariſienſis Advocatus, qui ut probet Concilium Generale eſſe ſupra Pontificem, ait à ſexta Synodo ſub Agathone excommunicatum fuiſſe Honorium. Montaltius & Wendrochius Epiſtola 17. addunt damnatum fuiſſe ob hæreſim.

137. Dixi, tertio opuſculo cum Baronio, & probavi latius Græcos, ut errores ſuos tuerentur, ſæpius corrupiſſe libros, etiam Pontificum epiſtolas vel finxiſſe. Ubi adverſarii ſinceritatem Græcorum in cauſa Honorii probaverint, ſeu allegata argumenta diluerint, poterunt cogitare quid reſponſuri ſint ad ea, quæ hic appono: deinde ad ea quæ de Honorio, & aliis Pontificibus, quos accuſant, dicturus ſum dante Deo, in Opuſculo ſequenti.

138. Hic

Digitized by Google

138. Hic tantum ab iis peto quandonam obiit Honorius, nonne anno 638. Concilium vero ſub Agathone, nonne annis 50. poſt Honorii mortem ſubſecutum eſt? Habetne Eccleſia aut Concilium etiam generale Juriſdictionem in mortuos? Prætenſa igitur illa excommunicatio ſolum fuit ſententia concernens vivos, & eorum quemlibet in particulari; ut ſcilicet preces pro eo non fierent, ob rationem ſtatim dandam: ſicuti dum canonizantur Sancti, nulla in ipſos exercetur ab Eccleſia juriſdictio: ſed decernitur ut loco ſuffragiorum, quæ fiunt pro Defunctis, celebrentur eorum laudes: & dum quis ab excommunicatione poſt mortem abſolvitur, conceditur ut in loco ſacro poſſit ſepeliri, vel oſſa transferri, fieri pro ipſo Sacrificia, recipi Oblationes, uti docet Concilium Vaſenſe can. 2. Arelatenſe II. can. 12. Carthaginenſe IV. can. 79.

139. Honorii vero mentem quis melius intellexit, quam Sanctus Maximus Græcus Doctor & Martyr? Qui illo tempore adverſus Pyrrhum & Sergium hæreticos, quibus faviſſe dicebatur Honorius, in Dialogo cum Pyrrho ita ſcripſit: " Quid habes de „ Honorio dicere, qui ad prædeceſſorem meum ſcribens unam „ Domini noſtri Jeſu Chriſti voluntatem apertè dogmatizavit? „ *Maximus.* Quis epiſtolæ illius fide dignus erit interpres? Qui „ eam ex perſona Honorii compoſuit, & vivit adhuc, inter alia „ ſua bona, hoc etiam conſpicuus, quod pietatis dogmatibus univerſum illuſtravit Occidentem? An Conſtantinopolitani de „ corde ſuo loquentes? *Pyrrhus.* Qui eam compoſuit? *Maximus.* „ Ille idem igitur ad Divum Conſtantinum quondam Imperato„ rem ſcribens rurſum ex perſona Sancti Papæ Joannis de ipſa; „ Unam, inquit, voluntatem Domini diximus, non divinitatis „ ejus, & humanitatis, ſed ſolius humanitatis. Cum enim ſcrip„ ſiſſet Sergius, eſſe qui dicerent in Chriſto duas contrarias vo„ luntates, inſcripſimus, Chriſtum non habuiſſe duas contrarias „ voluntates, carnis, inquam, & Spiritus, ut nos habemus poſt „ tranſgreſſionem; ſed unam tantum, quæ naturaliter humanita„ tis ejus nota eſſentialis eſt. Id ita eſſe evidenter ex eo demon„ ſtratur, quod membrorum, & carnis facta eſt mentio quæ divi„ nitati quoque ejus non poſſunt attribui".

Con-

Confundit ne Honorius voluntatem humanitatis Chriſti cum Divina, uti faciebant Monothelitæ? An non apertè loquitur de contraria carnis & ſpiritus lucta (de qua Paulus ad Rom. 7.) quam experimur, & quâ caruit Chriſtus?

140. Audiant etiam adverſarii Joannem IV. Honorii Succeſſorem, & de eo agentem, *Prædictus ergo deceſſor meus docens de myſterio Incarnationis Chriſti, dicebat non fuiſſe in eo, ſicut in nobis peccatoribus, mentis & carnis contrarias voluntates: quod quidam ad proprium ſenſum convertentes, divinitatis ejus & humanitatis unam eum voluntatem docuiſſe ſuſpicati ſunt; quod veritati omnimodis eſt contrarium.* Peccavit tamen Honorius, non docendo hæreſim vel negando in Chriſto eſſe duas voluntates, unam divinam & unam humanam, ſed conſentiendo Sergio poſtulanti ſilentium ſuper quæſtione illa *de una vel duabus in Chriſto voluntatibus*: cum tamen in tanti momenti quæſtione & fervente controverſia tantopere, quæ poterat facilè terminari, non taceri; ſed reſiſti aſſertoribus unius voluntatis clara definitione & pœnis oportuiſſet. Itaque facto illo ſuo favit hæreticis & quodammodo eos fovit. Taliter vero favere & fovere alienum penitus eſt ab Apoſtolicis Traditionibus & præſertim Pauli, qui adverſus hæreticos non tacuit: nec tacuere Concilia vel Patres. Itaque dum tacuit Honorius, imo taceri voluit, ejus deſuper epiſtola merito reputata eſt noxia. Non tacendum enim docuerunt Sancti Patres & Pontifices ex quibus aliquos poſt Garnerium ſubjungo.

141. Innocentius I. ad Patres Milevitanos: *Caveat Paſtoralis cura ne duarum ovium dura contagia ſerpant, forſan per vulgus incautum rapaciq; lupus corde lætetur intra ovile Dominicum tantas ovium fuſas catervas dum à cuſtodibus diſſimulanter habetur vulnus duarum. Proſpiciendum eſt ergo ne permittendo lupos Mercenarii videamus eſſe potius quam Paſtores.*

Cæleſtinus I. ad Epiſcopos Galliarum: *Timeo ne connivere ſit hic tacere: timeo ne magis ipſi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas, quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret: merito namque cauſa nos reſpicit, ſi ſilentio faveamus errori.*

Leo I. epiſt. 39. ad Turibium: *Si profanis erroribus Sacerdotum corda non reſiſtunt, qua conſcientia honorem ſibi debitum vindicant, qui* pro

pro animabus ſibi creditis non laborant ? beſtiæ irruunt & ovium ſepta non claudunt, fures inſidiantur,& excubias non prætendunt : morbi crebeſcunt & remedia nulla proſpiciunt &c.

Fœlix II. ad Acacium Conſtantinopolitanum ; *Negligere , cum poſſis deturbare perverſos , nihil eſt aliud quam fovere ; nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ qui evidenter facinori deſinit obviare &c.*

Synodus Lateranenſis ſub Martino I. de typo Conſtantis agens. *Similiter, malum eſt, pejus amplecti , & cum ipſo melius indiſcrete projicere.*

142. Denique meminerint adverſarii quid ipſis ante me de Honorio reſpondit eximius Lupus in notis ad Canones Conciliorum tom. 2. pag. 858. "Apoſtolici ad Græcorum Synodos ac
» Principes Legati paſſim à Romano Pontifice acceperunt du-
» plicia mandata ; commonitoria, inſtructiones : publica ſeu
» patentalia ac ſecreta. Liquet ex digeſto ac epiſtolis Hormidæ
» Pontificis , quas inter etiamnum extat , ſecreta inſtructio data
» Legatis ad Anaſtaſium & Juſtinum Auguſtos. Probari poſſit ex
» litteris Sanctorum Georgii ac Leonis. Quapropter duplicia
» mandata habuerunt etiam Legati ad præſentem Synodum pu-
» blica ſua patentalia mandabant damnari ſolas à Martino I. aut
» Agathone Papa damnatas perſonas , lucideque eximebant Ho-
» norium. Verum quod orthodoxi Grecorum Epiſcopi illum in
» Prophanis Hæreticorum Dyntichis ubique radiantem velint
» damnatum ; alias in Eccleſiarum pacem non conſenſuri ? Eum
» quippe ſuum ebuccinarant mendaces Monothelitæ & plurimis
» etiam Orthodoxis perſuaſerant. Hoc ergo in caſu ſecreta Lega-
» torum inſtructio eum diſpenſatoriè damnari, & pro populorum
» ſalute immolari, utpote qui aliquid cauſſæ dederat , permiſit.
» Et ita eſt omnino factum. Eoque omnino reſpexit Adrianus
» Secundus , aiens Honorio poſt mortem dictum anathema, non
» ab univerſa Eccleſia , ſed ab Orientalibus : Romana namque
» & omnis Latina Eccleſia ad anathema iſtud diſpenſatoriè ſo-
» lummodo tacuit & diſſimulavit. Et hoc ipſum ſuis Synodi
» confirmatoriis litteris inſeruit etiam Leo Secundus.

Digitized by Google

ARTICULUS XX.

Non eſſe confundenda decreta reſpectiva cum abſolutis.

143. AB adverſariis contradictionis arguuntur Pontifices, quod unus actionem vel propoſitionem prohibuerit, alter admiſit. Qualis fuit iſta propoſitio, *unus de Trinitate eſt paſſus*, quæ ab uno Pontifice proſcripta eſt, ab alio admiſſa, ſed diverſo reſpectu. Proſcripta eſt in ſenſu Eutychianorum, admiſſa eſt in ſenſu Catholicorum. Fallunt igitur incautos, qui ſententias reſpectivas non diſtinguunt ab abſolutis; & contradictionis arguunt Pontifices in iis, in quibus, ne illius eſt umbra. Hanc materiam cum latiùs diſcutiat Lupus *tom.* 1. *Scholiorum in Concilia*, ego hic interim ad illum adverſarios remitto; qui ſi velint, videre poterunt cum pluribus in locis ibidem de ea re tractantem. Interim ut illorum ſublevem laborem, annoto ipſis diverſas paginas, videlicet 697. 768. 805. 908. 909. & 948. & ſeqq. item *tom.* 3. *pag.* 859. ſimiliter actiones aliquæ ſunt aliquando ideo prohibitæ quod hæretici traherent illas in ſuppetias ſui erroris: aliquando præceptæ, quia ex earum omiſſione iterum errorum cuniculos fodiebant, ut v. g. trina vel unica merſio in Baptiſmo, communio ſub una vel utraque ſpecie, de quibus Lupus *dicta pag.* 859. & *tomo* 1. *pag.* 697.

144. Atque ad fraudes & artes in hoc Opuſculo tactas ferè reducuntur omnia quæ adverſus Sanctæ Sedis authoritatem blaterant, & quæ deinceps in ſequentibus Opuſculis, dante Deo, diſcutiemus latiùs.

ARTICVLVS XXI.

Appendix adverſus Dominum Meimbourg.

145. PErcurrenti Gallicos Scriptores obvenit Domini Meimbourg Hiſtoria Calviniſmi, in qua inter cætera admiratus ſum duo valde aliena ab eo quod agebat, unum concernit authoritatem Sanctæ Sedis: alterum vere sereniſſimas domos Auſtriacam & Lotharingicam. Fecit Lotharingus ille, quod faciunt Moderni Scriptores Galliæ, eſt inter quos adoptatus. Ecce quid ſcribit de Sanctæ Sedis Authoritate, gratum ſine dubio Calviniſtis, & ipſis favorabile admodum.

146. Sic enim loquitur: "Que ce n'eſt point du tout noſtre " creance qu'un Pape puiſſe depoſer les Princes quand meſme il " ſeroient heretiques, abſoudre leurs ſubjets du ſerment de fidelité " & abandonner leurs eſtat à ceux qui s'en pourront emparer les " premiers. Bien loin de cela nos Rois très Chretiens, qu'on ſcait " avoir eſté de tout temps les plus zeleuz defenſeurs de la foy Ca- " tholique & les plus grands protecteurs du S. Siege, auquel ils ont " eſté toujours inviolablement attaché nonobſtant tout le diffe- " rents qu'ils ont eut avec quelques Papes pour des intereſts tem- " porelles & pour le droit de leur Couronne qu'ils ne doivent ja- " mais abandonner, nos Rois dis-je, ont proteſté en toutes les " occaſions contre cette pretention fondée ſur une doctrine que " tous nos Docteurs ont toujours condamnée comme directe- " ment oppoſée à la Loix Divine. On peut voir ſur ce la les re- " monſtrances & les proteſtations que j'ay dit que Charle IX. fit " faire à Pie au ſujet de la Reine Jeanne de Navarre toute Hugue- " note obſtinée qu'elle eſtoit". Cur omittit quod ſimilibus pridem reſpondit Pius II. & Galliæ Legatis repoſuit in Conventu Mantuano.

147. "Cur hæc vos retuliſtis majorum inſignia? Cur ve- " terum imagines ante oculos noſtros poſuiſtis? Cur triumphos " & veſtræ gentis trophea commemoraſtis, & Romanam Eccle-

„ ſiam ſuis adjutam juribus, niſi quod indigna perpeſſos eſſe Fran-
„ cos arbitramini, quibus poſt tot beneficia, tum Religioni,
„ tum Fidei Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ præſtita Regnum
„ Siliciæ eſt ademptum? ingrata igitur Sedes Apoſtolica, ingra-
„ ti & nos qui bene merentibus jus ſuum auferimus, indignis a-
„ lienum concedimus.

„ Excuſanda eſt hoc loco Sacro-ſancta Romanæ & Apoſtoli-
„ cæ Sedis auctoritas, & ab ingratitudinis nota eximenda tanta
„ majeſtas. Ad quam rem neceſſarium eſt, ut & beneficia refe-
„ rantur, quæ Romani Præſules in Francorum familiam contu-
„ lerunt: neque erit inutile, & hanc partem cognoviſſe. Fatemur
„ magna ſunt, neque quiſpiam parva dixerit, quæ Franci Ro-
„ manæ Sedi preſtiterunt; ſed & Mater Apoſtolica Sedes bene-
„ merentes filios ſuos non rejicit, nec laborantes in vinea Do-
„ mini mercede debitâ fraudat, horum ſiquidem qui libata geſ-
„ ſere perpetuò memoratur; quæcumque hactenus potuit, quæ-
„ cumque habuit in augmentum gloriæ, eorumque ſalutis con-
„ tulit, ſemperque ut domum illam præcipuam tenuit, cujus præ-
„ ſidio in ſuis adverſis ſe tueretur; ſic & primam habuit in quam
„ omnem amoris, benignitatiſque ſuæ ſinum effunderet. Nam ſi
„ vetera ſimul & nova recolimus, beneficentiſſima ſemper in-
„ venta eſt B. Petri & Summi Præſulis Cathedra cum in cæteros
„ omnes, tùm in Francos veſtros. Inſiſtamus hic paululum,
„ & quantum generi veſtro profuerit, quantum faverit, quan-
„ tumque conſuluerit animadvertamus. Quis vobis lumen fidei,
„ quis legem Evangelicam, quis Chriſti Sacramenta, quis viam
„ vitæ, niſi Sedes Apoſtolica monſtravit? Eratis aliquando tene-
„ bræ, nunc autem lux in Domino eſtis. Eratis mancipia Sa-
„ thanæ, nunc Filii Dei per adoptionem facti eſtis. Eratis ge-
„ hennæ ſervi, nunc hæreditatem Regni Cæleſtis exſpectatis.
„ Unde vobis hæc libertas, niſi per primam Sedem, quæ miſſis in
„ Galliam atque Germaniam prædicatoribus verbi Dei, extirpato
„ lolio, boni tritici ſemen in cordibus patrum veſtrorum ſemina-
„ vit, & aberrantes Francos ad ovile Chriſti perduxit? Nihil his
„ majus adinveniri poteſt, nulla his compenſari bona, nulla be-
„ neficia, nulla obſequia poſſunt; ſpiritualia hæc, & tam veſtræ
„ quam aliis Nationibus communia".

Ad

„ Ad ſecularia veniamus, & in his quoque multa ſunt quæ re-
„ cenſeri poſſunt ab Apoſtolica Majeſtate in Francorum proſa-
„ piam congeſta cumulataque dona. Languebat eorum Regnum,
„ & ad eorum interemptionem defluebat in manibus Childerici
„ inutilis Regis: non tulit Zacharias Anteceſſor noſter nobiliſ-
„ ſimi Regni ruinam, ſed miſſis Legatis Regem totondit, & in
„ Monaſterio recluſit, Pipinoque qui Major Domus eſſet & in-
„ genio valeret, regimen, nomen & gubernationem commiſit.
„ Atque ita ſervatum eſt Franciæ Regnum, & in gentem quæ
„ nunc regnat derivatum, quod per rectam lineam in aliam Fami-
„ liam deferebatur: Nam Pipinus quamvis Francus, Regio ab
„ ſanguine natus, gradu tamen remotior erat. Hanc ille ex Apo-
„ ſtolica Sede gratiam tulit, nec minorem filius ejus Carolus con-
„ ſecutus eſt. Nam cum defuncto patre germanus quoque Caro-
„ lomannus obiiſſet, uxor ejus Berta Hildegardæ uxoris Caroli
„ gloriæ invidens, ad Deſiderium Longobardorum Regem cum
„ liberis confugit, quos ille benigne ſuſcepit, exiſtimans per eos
„ Francorum vires ſe facilè concuſſurum, præſertim ſi Romanus
„ Præſul ex filiis Carolomanni alterum in Franciæ Regem in-
„ ungeret. Præſidebat tunc in Apoſtolica Sede Hadrianus I. qui
„ neque precibus, neque minis, neque promiſſis ullis flecti potuit
„ ut impio Deſiderii deſiderio conſentiret, quamvis Exarchatus
„ Ravennas, & omnis ager Eccleſiæ, Longobardorum ferro diri-
„ peretur, & igne vaſtaretur: quæ res Carolo unitum Regnum
„ retinuit. Magnum hoc, ſed majus illud, quod Leo III. Romanus
„ Præſul in eundem Carolum contulit. Etenim Leone IV. qui
„ duos inter Conſtantinos imperavit alterius filius, alterius pater,
„ Italiam negligente, & in hæreſim lapſo, qui ſculpturas imagi-
„ num exhorrebat prohibebatque, indignatus Leo Pontifex Maxi-
„ mus Imperium de Græcis ad Germanos in perſona magnifici
„ Caroli Magni tranſtulit. Quid majus potuit Apoſtolica Sedes
„ præſtare Francorum Domui, quam eam Romano Imperio de-
„ corare, Provinciarum Dominam & Principem populorum,
„ gentium, nationumque conſtituere? Quid potui facere vineæ
„ meæ, (inquit Propheta in perſona Domini) & non feci? Ho-
„ norata eſt præ cæteris Francorum gens, & in ſublimi vertice

,, montium à Romana Eccleſia ſuſcepto Imperio collocata. Ne-
,, que & vos aſſerere viſi eſtis dimidiatum Imperium ad Francos
,, dimiſſum eſt, ſive duo Imperia facta, Græcorum alterum, La-
,, tinorum alterum. Nunquam Romani Præſules hanc abſurdi-
,, tatem commiſſent ut hoſti fidei gladium dimitterent. Totum
,, & ſolidum traſlatum eſt Imperium. Sed Carolus ipſe cum Hi-
,, rene prius Imperatrici, & Conſtantini Sexti matre, & deinde
,, cum Nicephoro Patricio, & cum eodem poſtea Imperatoris
,, nomen adepto Imperium partitus eſt: & quod totum accepit
,, dimidiatum retinuit, Orientales Græcis partes dimittens, ſibi
,, occiduas ſervans, & quamvis Imperium ad eos Francos tran-
,, ſierit, qui tum Galliam Germaniamque poſſidebant, & poſtea
,, in eis confirmatum ſit, qui Germanis præſunt, non tamen
,, Franci qui remanſerunt in Gallia, quorum Carolus ſoboles eſt,
,, ab Apoſtolica Sede relicti ſunt. Quis enim tot Pontificales,
,, tot Metropolitanas Sedes in Regno Franciæ niſi Romanus
,, Pontifex conceſſit? Quis Gymnaſia Literarum, Scholam il-
,, lam Pariſienſem orbe toto percelebrem & famâ claram, niſi Beati
,, Petri Succeſſores illuſtrarunt, à quibus ea indulta conſecuta
,, ſunt, quæ vix optare audebat?

"Illud quoque quod à vobis relatum de Regno Siciliæ in Fran-
,, corum familiam tranſlato, quis non intelligit præclarum &
,, maximum fuiſſe munus? dicet fortaſſe quiſpiam, & vos Do-
,, mini oratione veſtra ſentire videmini, occupabant Tyranni
,, Regnum, Manfredusque armis potens expelli non poterat;
,, largita eſt Romana Sedes, quod ſibi obtinere nequibat, donare
,, quam perdere maluit. Haud quidem ita eſt. Innocentius enim
,, quartus Romanæ Urbis Antiſtes, natione Januenſis, cum de-
,, poſito Frederico ex Gallia in Italiam rediſſet, Neapolim ſe
,, contulit, ubique tamquam Dominus eſt receptus; ad quem ſa-
,, lutandum omnes ferme Regni Proceres concurrerunt, ſe ſua-
,, que illi committentes; inter quos etiam Manfredus fuit; neque
,, dubium quin Regno toto potitus fuiſſet Innocentius, niſi
,, morte immatura rebus exceſſiſſet humanis, nec minor ſpes Suc-
,, ceſſoribus efferebatur, ſi non minor illis animus, non ſegnior
,, cura fuiſſet quam Innocentio. Sed defuncto Alexandro Quarto

apud

„ apud Avarinam, qui ſucceſſerat Innocentio, Urbanus IV. na-
„ tione Trecenſis, armorum curam & belli moleſtias ut par erat
„ execratus, Carolum Andegavenſem ex Francorum domo ad
„ hoc Regnum vocandum cenſuit; ſed prius obiit quam Carolus
„ intraret Italiam. Intravit autem ſub Clemente IV. cum triginta
„ triremibus Romam petens ubi per annum Senatoriâ dignitate
„ functus, & deinde cum conjuge Beatrice juſſu Pontificis apud
„ Lateranum Siculi Regni Coronam adeptus, ad bellum profe-
„ ctus eſt in quo victor non ſine magis Eccleſiæ Romanæ auxiliis,
„ poſſeſſionem quietam & tranquillitatem obtinuit. Fuiſſent &
„ alii qui hoc oneris cum tanto honore & emolumento ſuſcepiſ-
„ ſent cupidè, ſed Liliates, ut vos appellatis, præferendos omni-
„ bus cenſuit Apoſtolica Majeſtas. Intrarunt Franci Regnum,
„ eoque armis potiti, at non ſine Eccleſiæ Romanæ præſidio, quæ
„ non ſolum titulum dedit, ſed etiam arma conjunxit & anathe-
„ ma in hoſtes promulgavit, quod non parvi momenti fuit. Te-
„ nuerunt exinde Franci Regnum longo tempore (non verum in-
„ fitior) Carolus, & item Carolus, & Robertus & Johanna quæ
„ prior dicta eſt, at non ſine magno favore & magna ope Roma-
„ norum Pontificum. Neque enim Conradinus Frederici ſecun-
„ di nepos, qui conflato numeroſo exercitu ex Germania in Ita-
„ liam venerat, ut avitum Regnum vindicaret, abſque Romani
„ Præſulis auxilio vinci, capique potuiſſet.

148. Iſtam rerum ſeriem in Conventu Mantuano anno 1459. coram Galliæ Legatis, & aliis Hiſpaniæ, Germaniæ &c. Proceribus, dixit Pius II. (eam refert veſter d'Acherius tomo 8. Spicilegii) cui vix quidquam reponere potuerunt Galliæ Legati, ut conſtat ex ipſorum reſponſione, quam refert idem d'Acherius tomo 9. pag. 323. niſi falſa permiſcendo. Dixerunt enim *è perlectis ad plenum hiſtoriis & Chronicis Authenticis clare conſtabit Pippinum præfatum à ſtirpe Clodovei & Succeſſoribus ejus deſcendiſſe, & à ſanguine Regio proceſſiſſe.* De Clodoveo autem à quo profectum Pippinum volunt ita dicunt: *Clodoveus ille Chriſtianiſſimus Rex, ad quem è Cælo Lilia tranſmiſſa fuere Sacraque Unctio, & alia quæ divinitus recepit &c.*

149. Poſteriori parti non reluctabor, ſed Pipinum à ſtirpe Clo-

Clodoveo, per lineam maſculinam (quæ ſola in ſucceſſione Regni Franciæ reputatur) proceſſiſſe negant penitus Scriptores Franciæ: conſtatque ex Lotharingiæ & Brabantiæ Ducibus deſcendiſſe per lineam maſculinam. Ancelbertus enim Auſtraſiæ Princeps genuit Ansbertum ex Induſtria filia Clodovei, Ansbertus ex Blitilde filia Clotarii genuit Arnoaldum Succeſſorem. Arnoaldus genuit Sanctum Arnulphum Lotharingiæ Ducem, & hic Anſigiſum, alias Anchiſum, qui duxit Sanctam Beggam Pipini, nuncupati Landenſis, & Ducis Brabantiæ filiam; quæ ſucceſſit in Ducatu per mortem fratris ſui, ſine liberis, Grimoaldi. Ex Begga cognata ſua Anſigiſus genuit Pippinum Herſtallium pariter Brabantiæ Ducem: & hic ex Alpaide pellice (quæ tamen poſtea pœnitentiam egit videns ſui causâ occiſum eſſe Sanctum Lambertum Epiſcopum Leodienſem) genuit Carolum Martellum ſimiliter Brabantiæ Ducem: hic denique genuit Pippinum illum, de quo Pius II. & Franciæ Legati.

150. Iſtam genealogiam ex Galliæ Chronicis & documentis authenticis oſtendi in Opuſculo, quod de Sanctis Domus Lotharingicæ & Brabantiæ feci ante hanc cum Gallis luctam, ut animum non nihil divinorum cogitatione ſublevarem, & quod propediem videbit lucem.

151. Poterat quoque Dominus, Meimbourg poterant alii, temperare à calumniis in Auguſtæ memoriæ Catholicum Regem Philippum II. quid enim ad hiſtoriam Calviniſmi pertinet, quod filium ſuum perduellem debitâ pœnâ affecerit? An juſtitia eſt ſanguinolenta, ut prætendit, crudelitas toti Europæ inculcanda? Falsò an Regni alieni invaſor Philippus II. quia juvit Principes Domus Lotharingicæ (quam nulla maculavit hæreſis) dum adverſus Henricum IV. prætendentem Coronam Franciæ (ſed Hæreticum) religionis causâ pugnarunt? debet hoc Principibus iſtis Gallia, debet Philippo II. quod non prius Regnum obtinuerit Henricus quam abjuraſſet hæreſim: qui niſi ad Catholicam Fidem fuiſſet reverſus, tota Religio in Regno illo maxime tunc oppreſſa, fuiſſet ſuppreſſa penitus: ipſeque Ludovicus XIII. in Religione hæretica. & per hunc Ludovicus XIV. pariter educatus; aliàs à Calviniſtis non fuiſſet ad Regnum admiſſus.

152, Nec

152. Nec vero Franciæ Regnum uſurpare voluit Philip. II. Rex Catholicus, nec Auſtriaca Domus: tantum ab hoc abfuit, ut ſæpius ad Religionem Catholicam in eo Regno conſervandam apud Catholicos Principes inſtiterit, ut ex ipſis Catholicum eligerent. Hoc teſtatur Illuſtriſſ.& Reverendiſſ. Harduinus de Perefixe in hiſtoria Henrici IV. ipſius Ludovici XIII. Præceptor

153. Sed quo uſque progreditur D. Meimbourg, quo uſque nupera Epiſcoporum declaratio? A nulla Eccleſiaſtica poteſtate poſſe excommunicare Regem volunt etſi foret Hæreticus; idque ex jure divino procedere prætendit ille in verbis: *Fondée ſur une doctrine, que tous nos Docteurs ont touſjours condamné comme directement opposée à la loix Divine.* Age, Reverendiſſime Domine, exhibe Divinam Legem ſpecialiter excipientem Galliæ Regem præ ceteris Principibus non agnoſcentibus Superiorem. Si nullam habes exceptionem hujuſmodi, diceſne conſequenter nullum etiam Comitem aut Baronem, qui nullum Superiorem recognoſcit, poſſe excommnnicari quantumcumque ſit Hæreticus, & anathematizari ſi contumax perſeveret, & in conſequentiam abſolvi ab obedientia & fidelitatis juramento ſubditos?

154. Errarunt ergo hactenus Concilia etiam Generalia, quæ hoc ipſum ſenſerunt & fecerunt: errarunt tot Galliæ Prælati, & ex illis plures Sancti, quos retuli in *Diſquiſitione* & *Conſultationibus.* An fortaſſe inter tot illos nullus fuit doctor? Scribis enim: *Une doctrine que tous nos Docteurs ont touſjours condamnée.* An omnium illorum Prælatorum nullus intellexit jus Divinum? Addis ſiquidem, *comme directement opposée à la loix Divine.*

Et quandoquidem Recentiores Pariſienſes litteræ ferant continuari adhuc ibi Congregationes Doctorum & quidem frequentes, vota eſſe diverſa, Seniores plures ſtare pro Primatu Pontificis adverſus Declarationem Epiſcoporum, Juniores qui poſtremo loco audiuntur, nondum judicia ſua protuliſſe, libenter audiam cujus ſint ætatis & ſtudii, an fortaſſe ex illis, qui cum Almaino dicturi ſint, *ita judicavi anno primo mei Doctoratus, vel noviſſime pro Doctorali Laurea?* Quid ad argumenta, aliorum reſponderint &c.

ARTICVLVS VLTIMVS.

APPENDIX SECUNDA.

Continens Additionem ad præcedentia.

155. DUm jam ſcripta ſubibant prelum, redeunt in memoriam quædam elapſa, quæ cenſui hic breviter tangenda.

Primo qui ægrè ferunt libellorum ſuorum vel libri prohibitionem, aiunt eſſe quæſtionem *nihili* an damnatæ propoſitiones in illo vel illis contineantur, & in ſenſu per eum intento, ac non niſi calumniæ aut perſecutionis causâ excitari quæſtionem iſtam. Ita Montaltius, Wendrockius aliique. Sed non ita ſenſerunt, ubi quidam aliorum libri à ſolis Epiſcopis, vel poteſtate Laica fuerunt proſcripti: ſimilium enim proſcriptionum perpetua repetitione pleni ſunt adverſariorum libelli. Audent nihilominus ubi Sancta Sedes proſcribit, vel erroneas propoſitiones in eis contineri declarat, contemnere ſententiam, tamquam *de re nihili latam*, eo quod ſufficeret ſimpliciter damnare erroneam propoſitionem. Atque ita damnant ipſi perpetuum Eccleſiæ uſum, etiam Generalium Conciliorum, & ſui SacroSancti Baſileenſis ac Conſtantienſis.

156. Secundo aiunt libros Origenis fuiſſe damnatos, & tamen Patrem Halloix non ita pridem pro ipſius juſtificatione ſcripſiſſe. Ita Advocatus Pariſienſis aliique. Reſp. an librum iſtius Halloix legerint dubito. Nam potiſſimum ille agit de re puri facti, *An vera ſit hiſtoria quæ de morte* Origenis *refertur*, *an corrupta fuerint ab hæreticis ejus ſcripta*, *& propterea damnata.* Quia tamen in eo quod agebat dictus Halloix exceſſit, etiam ejus liber à Sede Apoſtolica prohibitus eſt, ut conſtat ex Indice Librorum prohibitorum per Alexandrum VII.

157. Di-

157. Dicunt tertio damnatas propoſitiones habere plures ſenſus: ad quod probandum, aliquarum vocum conantur exquirere limitationes, & in hoc totus eſt Irenæus: *Qui v. g. pag.* 77. propoſitionis 5. antea allegatæ, vult ſtatuere ſex ſenſus Catholicos. Primo quod dum dicitur, *Quod Chriſtus pro omnium ſalute mori voluerit*, hoc intelligatur de quadam *velleitate*. Secundo, *Quod mortuus ſit pro omnibus & ſingulis quo ad ſufficientiam pretii.* Tertio, *Quod mortuus ſit pro omnibus & ſingulis hominibus ratione cauſæ & naturæ communis.* Quarto, *Quod mortuus ſit non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum &c.* Addunt, *Se non intelligere ſenſum Janſenii, velle ſibi illum explicari*: & eum qui dicit, *Ab ipſis aliquam ex propoſitionibus damnatis doceri*, oſtendere *debere quis ſit ſenſus damnatus, quodq; ejus verba habeant eundem ſenſum*; eoque tendunt ſcripta Irenæi, Wendrokii &c.

158. Reſpondeo primo mirari me Intepretes ejuſmodi qui volunt eſſe *lumen eorum, qui in tenebris, eruditores inſipientium, Magiſtros Infantium*, qui totius Auguſtini, cæterorumque Patrum mentem ſenſumque ab iis intentum ſciunt, aut videri volunt ſcire, non intelligere ſenſum unius Authoris circa paucas ſolum propoſitiones. Super quibus adeo clare loquutus eſt, ut ſi explicationem ejus quæras, non poſſit tibi clarius dici, & ſi aliis verbis dicatur, jam negabis verba dicentis, & verba illius idem ſonare.

159. Si dicis parum referre quis ſit ſenſus, v. g. propoſitionis quintæ, dic pariter parum referre quis fuerit ſenſus tot Hæreticorum, quorum libros Eccleſia ab initio huc uſque proſcripſit. Cur non dicis pariter parum referre quis ſit ſenſus Auguſtini vel Hieronimi? an Doctor non debeat pariter ſcire tam quæ ſint noxia, ut caveat; quam quæ ſint bona, ut amplectatur.

Reſpondeo ſecundò optandum ut iſti ſcirent ambiguitatem alicujus ſententiæ non eſſe exiſtimandam ex ambiguitate, quam haberent ejus verba, ſi ſeparatim proferentur: quod tamen ac præcipue unicum prætendit Irenæus: ſed ex toto contextu ſenſum eruendum. Quis enim Judicum non rideret Advocatum, aut potius fori Rabulam, qui legatum his verbis factum *Lego Fratri meo equum meum emptum à Paulo*, prætenderet eſſe nullum, quia ſingula verba ſunt *ambigua*, ſi ſeorſim conſiderentur. Nam verbo *lego* ſignificat

nificat etiam *ex ſcripto profero.* Caſus dativus *fratri* poteſt eſſe dativus verbi, & dativus commodi, adeoque poteſt eſſe ſenſus, *lego, hoc eſt ex ſcripto profero ad fratris utilitatem, ut me audiens aliquid diſcat.* Vox *frater* eſt ambigua, nam Catholici omnes à Paulo vocantur ſæpius *fratres*, & Chriſtus Apoſtolos ſuos vocat *fratres*. Vox *equus* etiam ſignificat equum pictum, adeoque eſt incertum an teſtator fuerit loquutus de ſua pictura equi, an de equo vivo. Illud etiam *emptum à Paulo* intelligi poteſt dupliciter vel *de eo quem Paulus vendidit*, vel *eo quem Paulus emit*: Ergo dicta propoſitio teſtatoris habet quatuor aut quinque ſenſus diverſos, etiam oppoſitos: ergo ulterius juxta titulum Pandectarum *de rebus dubiis* nihil debetur, & eſt ſtultum dicere præciſe *Quod teſtator voluerit voluntate abſoluta ut ipſius frater ex eodem parente natus haberet equum vivum, quem à Paulo emerat.* Quivis Judex explodet hunc Sophiſtam. En tamen tota ratiocinatio Irenæi, Wendrokii & ſequacium circa Propoſit. 5.

160. Si admitterent illas eſſe damnatas in ſenſu ab Authore intento, & intelligerent verborum contextum, viderent clare, quod Chriſtus mori voluerit non ſolum *velleitate* quadam pro ſalute infidelium vel juſtorum non perſeverantium; ſed vera voluntate, deprecatione, oblatione pretii, ſanguinis effuſione, ut ſalvarentur. Nec pro ſola *ſufficientia nuda* pretii; quia pretium illud etiam eſt ſufficiens pro redemptione diaboli; ſed pro quo non oravit Chriſtus, nec obtulit; quia, inquit Paulus, *ſemen Abrahæ non Angelos apprehendit.* Intelligerent etiam quomodo ſit mortuus *ratione cauſæ, & naturæ communis*; *ratione cauſæ*, quia *omnes homines in Adam mortui ſunt*, & ſicut dicit Sanctus Leo *ſermone in Natali*, *ſicut nullum à peccato liberum invenit ita liberandis omnibus venit.* *Ratione naturæ* quia dum humanam naturam ſuſcepit, omnium hominum quodammodo ſuſcepit naturam, omnibus aſſimulatus (abſque peccato) non tamen Angelicam. Intelligerent quod ſit mortuus non ſolum *pro generibus ſingulorum*, ſed etiam *pro ſingulis generum*, licet non omnes ſeu ſingula generum effectum redemptionis conſequantur, obſtante proprio facto, vel aliarum cauſarum ſecundarum uti explicat Iſambertus Doctor Sorbonicus aliique, & antea Sanctus Proſper fideliſſimus Auguſtini diſcipulus *de vocatione gentium.* Intelligerent denique quod ſit mortuus pro ſalute eorum, qui non ſalvantur,